

X d  
2986



~~14~~  
~~10~~


(Hist. III, 795).

XIII, 142.




Inservio studijs  
Joh. Schloßer  
1603.













S V M M A  
P V R I O R I S

DOCTRINAE DE SACRO-  
sancta Coena Domini, In qua etiam ad contrarias  
opinionēs breuiter respondetur. Fundata  
in uerbo diuino, & Confessione Augustana  
ac Apologia eiusdem, atq; ex sin-  
cera interpretatione D. D. Mar-  
tini Lutheri, aliorumq; pio-  
rum Doctorum  
collecta.

A D N A S C E N T E M  
Ecclesiam Galliae missa, à mi-  
nistris uerbi, qui sunt in di-  
tione Comitum Manso-  
feldensium.

PSAL. CXIX.

Declaratio sermonum tuorum illuminat,  
& intellectum dat paruulis.

A N N O

M. D. LXII.


*Helshardt.*  
1562.

*Sum ex libris  
F. Schlegel  
No. 10*

DE VERA FIDE COE-  
næ Dominicæ, votum.

*Sanctifica nos in uerbo ter maxime Christe  
Quod solum ueri simplicis instar habet.  
Te pater audiri cœlo precepit ab alto,  
Te meritò audimus, tu sine labe doces.  
Quæ loqueris, facis, & quamuis incognita nobis  
Dextera magna tua est, credimus illa tamen.  
Credite simpliciter, ne uos sapientia carnis  
Transuersos animæ ducat in interitum.*

Z. Prætorius Mans-  
feld. minif. Eccl.  
Isleb. interpres.



# OMNIBVS IN

GALLIA VERE CHRISTIANIS,  
fratribus suis in Domino, Ministri Verbi, qui  
sunt in ditione Comitum Mansfeldensium, Gra-  
tiam precantur & pacem, à Deo Patre, &  
Domino nostro Iesu Christo, qui dedit  
semetipsum pro peccatis nostris, ut  
eriperet nos de presenti seculo malo,  
secundum uoluntatem Dei, et Pa-  
tris nostri, cui est gloria in  
secula seculorum,  
A M E N.

GRATIAS AGIMVS DEO,  
& Patri Domini nostri Iesu  
Christi, quod uidimus haec-  
nus, quemadmodum his nouissimis  
temporibus hominem illum pecca-  
ti, filium perditionis, qui est aduersa-  
rius, & extollitur supra omne quod  
dicitur Deus, aut quod colitur, ita  
ut in templo Dei sedeat, ostendens se  
tanquam sit Deus, uerbo suo caepe-  
rit reuelare, & reuelatum spiritu  
A 2 oris

P R A E F A T I O.

oris sui interficere, & quòd uidemus eum pergere porro, suumq̃ sacrosanctum uerbum longe lateq̃ spargere, ut qui sederunt hactenus in tenebris & umbra mortis, per uiscera misericordiæ Dei nostri ab Oriente ex alto uisitentur, & ut hac illustratione det scientiam salutis plebi suæ, quæ est in remissione peccatorum eorum, ac dirigat pedes eorum in uiam pacis.

Ac proinde, carissimi fratres, quoniam ad nos peruenit, & uobis eandem misericordiam esse factam, ut è profundis tenebris regni Pontificij, & ab ipsius tyrannide liberati, transferamini in lucem ueritatis cœlestis in spe pacis; celebramus Deum uobiscum, ac gratias ei agimus pro hisce summis beneficijs immortales, ac semper precamur pro uobis, ut impleamini agnitione uoluntatis eius, in omni sapientia & intellectu

P R A E F A T I O .

lectu spirituali, ut ambuletis dignè  
Deo, per omnia placentes, in omni  
opere bono fructificantes, & crescen-  
tes in scientia Dei, in omni uirtute  
confortati secundum potentiam cla-  
ritatis eius, in omni patientia & lon-  
ganimitate cum gaudio, gratias  
agentes Patri, qui dignos nos fecit  
in partem sortis sanctorum, in lumi-  
ne, qui & nos & uos deinceps quoq̃  
confirmet in fide & spe Euangelij.

Etenim crux uestra & persecu-  
tio, quam sustinuistis haecenus, cu-  
ius autor & actor fuit sanguinarius  
ille & crudelissimus parricida An-  
tichristus Romanus, non prorsus la-  
tuit nos, ac fraterne uobis condolui-  
mus, orauimusq̃ Deum altis gemi-  
tibus & lachrymis, ut liberaret uos  
pro sui nominis gloria, & propaga-  
tione regni sui. Quoniam ergo non  
frustra laborauimus, quid est, quod  
Deo non agamus reuerenter gratias

P R A E F A T I O .

as: & qua ratione possemus dignam  
celebrationem diuini nominis pro  
tanto beneficio in vos collato, præ-  
termittere, vobisq; ex animo non  
gratulari?

Quoniam etiam scimus fratres,  
Satanam iudefatigabilem hostem  
Dei, ac veritatis diuinæ, nunquam  
conquiescere, sed vt Christus ait,  
vbi semel eiectus est, reditum tenta-  
re, secumq; septenos assumere alios  
spiritus, seipso maligniores, ac mul-  
to maiori impetu amissam possessio-  
nem repetere, fortioriq; præsidio,  
quam antea solitus, munire: vere-  
mur sanè & nos, ne idem hostis ille  
acerrimus in primis hisce initijs vos  
adoriatur, & à vero scopo salutis, ac  
fide in Dominum nostrum Iesum  
Christum, auertere conetur.

Nam experientia nostra edo-  
cti didicimus, quàm incessanter ipse,  
vt leo

P R A E F A T I O.

vt leo rugiens, circumgrassetur, vt quibuscunq; modis malitiam suam & libidinem expleat, idq; non solum propalam facere solet, sed vt plurimum astute & clam, neq; sine magna specie sanctitatis, per illecebras nostrae rationis, adeo vt vix pij & attenti homines dolum animaduertere possint: quemadmodum & sub initium nostri Euangelij in eum finem multas excitauit sectas, & adhuc excitat, vt lucem veritatis obscuret & extinguat, ac regnum Domini nostri Iesu Christi euertat & opprimat. Quantum etiam hactenus ei propter ingratitudinem nostram, tedium verbi & alia peccata concessum sit, cum dolore agnoscimus, atq; experimur, multas initio bene constitutas Ecclesias, in alijs atq; alijs articulis doctrinae erroribus locum dedisse.

A 4

Cate

P R A E F A T I O .

Cæterum de uobis non sumus  
usq; adeò solliciti in alijs articulis,  
nisi in hoc unico, qui spectat Sacra-  
mentum cœnæ Dominicæ, quæ do-  
ctrina maximi certe momenti est  
apud omnes religionem Christia-  
nam sincerè profitentes.

Non ignoramus, eos qui hacten-  
us segregauerunt se ab incorrupta  
uoce Euangelij, imo qui mutatio-  
nem fecerunt doctrinæ in hoc arti-  
culo, non ambulantes iuxta uerbum  
& expressam uocem doctrinæ, sed  
fucosis argumentis Philosophiæ &  
sapientiæ humanæ plebeculam irre-  
tite uolentes, non solum uicinos esse  
uobis, sed etiam præsentibus & præ-  
sentium negociorum in Euangelio  
adiutores & ministros, pro qua  
quidem beneuolentia et officio, gra-  
tias eis deberemus, nisi quod modo  
diximus, metuere necesse esset.

Vt



P R A E F A T I O .

Vt autem in corpore animato omnia membra succurrunt ei quod est debilius, ut periculum quoquo modo à contagione totius corporis depellatur: ita cuperemus sanè & nos idem officij genus, consuetudine Ecclesiae, & ratione dilectionis Christianae in uos conferre, siquidem periculum est, ne paulum fermenti, totam massam corrumpat. Et quoniam hoc ipso in loco agimus, in quo Deus nasci & mori uoluit illustrissimum suae gloriae organon, & sincerum Euangelij Doctorem, Reuerendum uirum D. Martinum Lutherum, quem in hoc elegit sibi Deus, ut ipsius ministerio in hac senecta mundi ueritas uerbi & lux Euangelij, in uirtute & cooperatione Spiritus sancti instaurata patefieret toti mundo, euoluta è densissimis illis tenebris, quibus fuit superioribus seculis oppressa & sepulta,

A 5 pulta,

P R A E F A T I O .

pulta: Itaꝓ & maiores nostri, & nos diligenti studio bonum illud depositum, quod ille per Spiritum sanctum, iuxta omnes articulos doctrinae Christianae, patriae suae commendauit, haecenus fideliter custodiuius, ac pro defensione illius acceptae veritatis, secundum mensuram gratiae, quam accepimus, aduersus omnes corruptelas, in horto Domini subnascentes, pugnauius, & quoad debuimus, ratione dilectionis Christianae & asserendae causa gloriae Dei, cauere sibi homines ab omni labe errorum monuimus, id quod ex nostris confessionibus & libellis editis, publice constat. Ac speramus, nostrum in Domino laborem, licet minimi sumus, non prorsus fuisse irritum & inutilem.

Cum

P R A E F A T I O.

Cum autem in primis manifestum sit, quanta fortitudine & zelo idem ille vir Dei Lutherus è fontibus scripturae sanctae, doctrinam de sacra coena Eucharistiae asseruerit, neque corrumpi diuinam veritatem huius articuli passus sit, sed pro fidei commonefactione & institutione imperitorum sua monumenta & libros ea de re scriptos, posteritati reliquerit: & hanc partem depositi eius iure ac libenter amplectimur, & vt alia eius scripta consentanea veritati Propheticae & Apostolicae grato pectore accipimus, & illa commendamus etiam alijs, cuius rei nunc etiam vobis autores sumus, ac sedulo regamus, vt in primis scripta Prophetica & Apostolica, dehinc & Lutheri monumenta diligenter cognoscatis, & fontem veritatis inde hauriatis.

Equi-

P R A E F A T I O .

Equidem nos in usum simplicium ac imperitorum, quibus Lutheri scripta omnia, uel euoluere non uacat, uel qui longas ac difficiles disputationes iudicare non possunt, collegimus pericopam siue summam sanioris illius doctrinae, & responsionum aduersus plausibiles quasdam, & ex ratione sumptas obiectiones. Ac primum & praecipue desumpsimus eam ex uerbo Dei, Deinde ex Lutheri aliorumque piorum & excellentium Doctorum scriptis, In quo tanquam compendio etiam ueras sententias Patrum & consensum uerae Ecclesiae de hac parte doctrinae, complecti studuimus.

Ac hic quidem consensus olim in uestra patria etiam floruit. Nam de doctore uestro & Episcopo Irenaeo, uiro sanctissimo, testatum habemus, quod sua aetate in uniuersum  
de do-

PRAEFATIO.

de doctrina sacrae coenae Domini-  
cae, recte, pie ac fideliter iuxta uerba  
Christi, Euangelistarum & Pauli,  
docuerit & scripserit. Vixit enim  
statim primo seculo, quod consecu-  
tum est Apostolos, & auditor fuit  
Polycarpi, à quo ueritatem huius  
doctrinae recte percepit, & ipse ait:  
Quae audiui à Polycarpo, non  
chartae inscripsi, sed cordi, ac perpe-  
tuo per gratiam Dei rumino, ac in  
eadem doctrina Apostolica con-  
stanter perseuerauit. De quibus  
omnibus abunde testantur eius li-  
bri, quos ipsi habetis in manibus.

Nouum hoc dogma quo  
assentur uerum corpus Domini, &  
uerum sanguinem in Sacramento  
non distribui uere omnibus utenti-  
bus, ignorauit Irenaeus, sed de praesentia corporis & sanguinis eodem  
modo scripsit ac sensit, quemadmo-  
dum nostra aetate Lutherus, & alij  
sinceri

P R A E F A T I O .

sinceri doctores scribunt, sentiunt, ac docent, nempe, quòd corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi in sua cœna, cum pane & vino, non significatiuè neque spiritualiter, sed verè & substantialiter adsit, oreq; præsens accipiatur, comedatur & bibatur.

In quam sententiam hæc extant eius verba libro 5. folio 2. Quando mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi.

Item: Quomodo negant carnem capacem esse donationis Dei, quæ sanguine & corpore Christi nutritur?

Vtitur & hisce loquendi formulis: Calix est sanguis Christi, panis est corpus eius:

Lib. 4. cap. 57. Dominus accipiens panem, suum corpus confitebatur,

P R A E F A T I O .

tebatur , & temperamentum calicis  
suum sanguinem confirmavit .

Alias porrò corruptelas huius  
articuli prorsus ignoravit Irenæus,  
puta , Papistarum commenta de  
transubstantiatione , repositione ,  
idolatrica circumgestatione & ado-  
ratione , de sacrificio item missæ & sa-  
crilegio illo , quo in contumeliã filij  
Dei ac institutionis dominicæ mu-  
tilatur Sacramentum , & altera spe-  
cies , quam sic vocant , laicis eri-  
pitur .

Ac seorsim contra Transub-  
stantiationem hæc verba extant li-  
bro eius quarto , capite 33 . Panis qui  
est à terra , percipiens vocationem  
Dei , iam non communis panis est ,  
sed Eucharistia , ex duabus rebus  
constans , terrena & cœlesti , videli-  
cet pane & corpore Christi .

De efficacia vero seu usu huius  
Sacramenti dulcissimè scripsit , quòd  
hac

P R A E F A T I O.

hac applicatione seu usu sacrosanctæ coenæ, nostra mortalia corpora sic afficiantur, ne videant corruptionem, neq; in morte maneat, & in nihilum redigantur, sed vt resurgant ad vitam æternam. Lib. 4. cap. 33. Corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.

Lib. 5. Quemadmodum lignum vitis depositum in terra fructificat suo tempore, & granum tritici decidens in terram, & dissolutum multiplex resurgit per spiritum Dei &c. Sic & corpora nostra & carne & sanguine Christi nutrita, & reposita in terram, & resoluta in ea, resurgent in suo tempore, uerbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris.

Necq; verò in hac parte duntaxat nobiscum Irenæus consentit, neq;



P R A E F A T I O.

neq̄ ulla noua dogmata contra con-  
senium Christi eiusq̄ discipulorum  
amplectitur, sed etiam in alijs omni-  
bus articulis fidei Christianae nobis-  
cum sese opponit hæreticis ac præ-  
cipue horrendis illis prophanationi-  
bus regni pontificij.

Proinde extat inter eius opuscu-  
la, breue compendium veræ doctri-  
næ de articulis fidei, quod per om-  
nia symbolo Apostolorum respon-  
det, ac iisdem ferè symboli verbis  
vtitur: Sunt autem hæc, quæ des-  
sumpsimus ex libro primo, capite 2.  
Ecclesia per vniuersum orbem, usq̄  
in fines terræ seminata ab Apосто-  
lis & à discipulis eorum, accepit eam  
fidem, quæ est in vnum Deum Pa-  
trem omnipotentem, qui fecit cœ-  
lum & terram, mare & omnia quæ  
in eis sunt. Et in vnum Iesum Chri-  
stum, filium Dei, incarnatum pro  
nostra salute. Et in Spiritum san-  
ctum,

B

ctum,

P R A E F A T I O .

Etum, qui per Prophetas prædica-  
uit dispositiones Dei & aduentum,  
& eam quæ est ex virgine genera-  
tionem & passionem & resurrectio-  
nem à mortuis, & incarnationem,  
in cœlos ascensionem dilecti Iesu  
Christi Domini nostri, & de cœlis  
in gloria patris aduentum eius ad  
recapitulanda vniuersa, & resusci-  
tandam omnem carnem generis hu-  
mani, vt Christo Iesu Domino no-  
stro, & Deo, & saluatori & regi, se-  
cundum placitum patris inuisibilis  
lis, omne genu curuetur cœlesti-  
um, terrestrium & inferorum, &  
omnis lingua confiteatur ei, & iu-  
dicium iustum in omnibus faci-  
at &c.

Postea etiam articulum de iu-  
stificatione hominis coram Deo pu-  
rè docuit, quemadmodum à Chris-  
to & Apostolis accepit, eam enim  
non operibus ac viribus nostris, sed  
gratiæ

P R A E F A T I O.

gratiæ diuinæ & merito Christi  
asscripsit, qua de re multa extant  
eius præclarè dicta.

Libro 3. capite 22. Homo (in-  
quit) qui fuit inobediens Deo, &  
proiectus de immortalitate, mise-  
ricordiam consecutus est per filio  
um Dei, eam quæ est per ipsum per-  
cipiens adoptionem.

Et paulo post, hæc verba sub-  
iicit: Ipse dominus ex virgine Ema-  
nuel, est, qui saluabat eos, quia non  
habebant per semetipsos saluari.

Libro 3. capite 30. ait: Quem  
admodum per inobedientiam vni-  
us hominis, qui primus de terra ru-  
di plasmatus est, peccatores facti  
sunt multi, & amiserunt vitam: ita  
oportuit & per obedientiam vnius  
hominis, qui primus de virgine na-  
tus est iustificari multos & percipe-  
re salutem &c.

B 2

Libro

P R A E F A T I O .

Libro 4. capite 13. proponit exemplum iustificationis Abrahamum, cui credenti imputauit Deus iusticiam, vbi disertè inquit : Fides quæ est ad Deum, iustificat hominem.

Postremo traditiones humanas noluit esse inuiolabiles, & æquiuales verbo & mandatis Dei, neq̃ passus est, propter eas vinculum dilectionis fraternæ dissolui, ac dissidia excitari, vnde legimus, eum seueris admodum verbis Victorem episcopum Romanum increpare, quod Asianos ob festum Paschale duntaxat, quod non celebrauerant eodem die quo ipse decreuerat, excommunicasset, tametsi alioqui essent in doctrina orthodoxi. Extat narratio in historia Ecclesiastica, libro 5. cap. 24.

Hæc ideo recensuimus, vt in pietate vestræ vocationis confirme-  
mini;

P R A E F A T I O.

mini, cogitetisq; si iam non solum ab Antichristiana colluue & innumeris falsitatibus vos segregatis, sed etiam nouas opiniones de Sacramento coenae Dominicae à vobis reijcitis, vos pium & sanctum opus facere.

Principio enim sequimini in hac re mandatum Dei, qui dicit Apoc. 18. Exite de Babylone, populus meus, ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiat. Quoniam peruenerunt peccata eius usq; ad caelum, & recordatus est Deus iniquitatum eius.

Deinde adiungitis vos ad verum consensum verae & sincerioris Ecclesiae, in qua floruerunt etiam maiores vestri, qui secuti sunt sinceram illam doctrinae formam, quam Irenaeus, fidelis Ecclesiae doctor & Episcopus suus, eis tradidit, suoq; sanguine in testimonium certae &

P R A E F A T I O.

indubitatae veritatis consignavit, in quo genere meministis & alia insignia exempla vestrorum hominum, qui non dubitauerunt sanguinem & vitam profundere pro confessione veritatis, quamobrem ergo illos non imitaremini?

Quapropter, dilecti fratres, etsi res necessaria & optima est, ut homines Christiani suae fidei fundamentum & confirmationem, ex ipsis dulcissimis fontibus Israel hoc est, ex scriptis Prophetis & Apostolicis, petant atque hauriant, de quo extat etiam Christi mandatum, Iohannis 5.

Scrutamini scripturas: tamen vobis atque alijs iucundum esse debet & gratum, cum videtis, Deum omnibus temporibus aliquos dedisse ac dare ministros Ecclesiae, qui a norma verbi sui non discedunt, sed per spiritum Dei de veritate testantur,

P R A E F A T I O.

stantur, eamq̄ copiose & vtiliter  
declarant. Horum testimonia ne-  
quaq̄ contemni debent.

Ac de Irenæo quidem cum  
constet vobis, eum fuisse veracem  
& constantem Dei testem, cuius  
ductu & præmonstratione maiores  
vestri, veritatem doctrinæ cœlestis  
cognouerunt, non solum exemplum  
eius vobis imitandum, sed etiam pro  
summo ornamento ducendum est.  
Quæ enim insignior est alicuius  
prouinciæ vel regni gloria, quàm si  
prædicetur de eo, quòd pietas ibi  
colatur, verbum incorruptum &  
sinceri cultus conseruentur?

Dum igitur reducimini iam in  
viam, testimonioq̄ & exemplo ve-  
strorum hominum confirmamini,  
gratias agite Deo, ac celebrate eius  
gratiam & beneficentiam, quam  
copiose vobis dispensat.

B 4

Quia

P R A E F A T I O .

Quia etiam idem ille benignus ac misericors Deus, hoc difficilimo tempore senescentis mundi, Lutherum simili constantia, fortitudine ac amore veritatis praeditum sui verbi Doctorem nobis exhibuit, qui cum alijs pijs à Deoq; doctis viris, principaliter ad verbum Dei, sacrasq; literas homines deducit: dehinc etiam Irenæi, Augustini, & aliorum veteris Ecclesiae doctorum, veras & verbo Dei consentientes colligit sententias, merito igitur & vos horum amplecti debetis testimonia, vobiscq; à periculosis opinionibus, & omni fermento Pharisaico prudenter cauere.

Proinde, si nostrum studium, quo huius tantummodo articuli summariam doctrinam ( vt supra mentionem fecimus ) è verbo Dei, & Lutheri, aliorumq; piorum doctorum scriptis collegimus, vobis placet



P R A E F A T I O.

placet, ac vti eo vultis : rogamus vos etiam atq; etiam, vt nihil de animi nostri candore ac erga vos benevolentia dubitetis. Neq; vero nos dubitamus, quin, vt in Luthero multiplicia illa Dei dona agnoscitis, cæteraq; eius scripta, & salutare declarationes, reuelationesq; tenebrarum ac errorum, quos in Papatu adorauimus, amatis & complectimini, ita eodem modo hanc compendiosam farraginem e verbo potissimum Dei, postea e monumentis ipsius diligenter congestam, approbaturi sitis, nostrumq; animum, quo ex ipsius patria hanc ad vos commonefactionem transmittimus, pie iudicaturi.

Ac tametsi speramus, alias quoque pias & recte in doctrina constitutas Ecclesias, quæ autoritate nobis antecellunt, quibus nos minime præponi volumus, nihil prætermissuras

P R A E F A T I O .

missuras officij, quò vel precibus  
 suis vel admonitionibus fidem ve-  
 stram stabiliant : tamen putauimus  
 & nostram mediocritatem in hoc  
 officij genere pluribus fore non in-  
 gratam. Legimus enim in populo  
 Israelitico singulis mandatum fu-  
 isse, vt aliquid ad structuram ta-  
 bernaculi Domini conferrent, pro  
 sua quisq; facultate, neq; enim fieri  
 poterat, vt singuli in conferendo es-  
 sent pares. Dominum autem non  
 tantum acceptasse preciosa mune-  
 ra diuitem, aurum & gemmas, ce-  
 dros & ligna setim, sed etiam viles  
 illos caprarum pilos, qui à pauperi-  
 bus offerebantur. Itaq; & nos ora-  
 mus Deum omnipotentem, vt in  
 ædificationem vestræ Ecclesiæ, no-  
 stri officij tenuitatem, ipse sua bene-  
 dictione prosequatur & impleat,  
 vosq; suo sancto Spiritu ad agnitio-  
 nem suam illuminare, regere, con-  
 seruare,

PRAEFATIO.

seruare, & in vniuersum sanctifica-  
re velit, vt integer spiritus vester,  
& anima & corpus inculpate in ad-  
uentum Domini nostri Iesu  
Christi seruetur. Fidelis  
est qui vocauit vos,  
qui etiam fa-

ciet.



Summa



S V M M A  
P V R I O R I S  
D O C T R I N A E D E  
C O E N A D O M I N I .

**L**ibelli Catechetici, quos usitate proponimus  
in nostris Ecclesijs, quatuor habent quaestiones,  
quibus pueri & rudiores de necessaria doctrina  
coenae Dominicae brevissime ac propriissime  
instituuntur ac erudiuntur.

Prima quaestio cum annexa responsione docet,  
quid sit Sacramentum coenae Dominicae, & quid  
re ipsa in eo accipiamus, comedamus & bibamus.  
Altera docet de fructu & efficacia huius Sacramenti.  
Tertia de usu & applicatione eius. Quarta de  
digna preparatione & disciplina summentium.

Quoniam igitur annuente Deo, & conatus  
nostros feliciter aspirante, hanc doctrinam aliquanto  
copiosius e uerbo Dei, & quibusdam testimonijs  
piorum Theologorum, Lutheri & aliorum, declarare  
neq; tamen stylo nimium indulgere

## S V M M A P V R I O R I S

dulgere decreuimus, nullum sanè uidemus ordinem, quem possimus aptius in hoc nostro instituto sequi, quam illum ipsum qui obseruatus est in libellis Catecheticis.

Sciat autem lector, quantoquidem hoc tempore propter necessarias causas, prima quaestio, in qua de materia & substantia Sacramenti agitur, copiosius tractanda est, quam ceterae tres: operam daturos nos, ut de ea parte diligentius ac plenius perscribamus, in ceteris uero erimus breuiiores, maximè ob eam causam, quòd Dei beneficio etiam alij pro dignitate illas explicauerunt, ut propemodum uideatur non necessarium, quicquam de illis commonefacere.

## D E C L A R A T I O P R I M A E Q U A E stionis cum annexa re sponzione.

Initio diligenter consideranda est prima quaestio doctrinae Catecheticae cum annexa responzione de materia siue substantia Sacramenti.  
Ordine

## IN AE DE COENA DOMINI.

Ordine igitur uerba definitionis recensuimus,  
postea sententiam seu uerum eius intellectum, ac  
simul de uera praesentia corporis & sanguinis  
Christi in Sacramento, & si qua sunt cognata  
huic argumento, exequemur.

Porro descriptio Sacramenti & quaestio  
Catechismi sic habet,

Quid est Sacramentum  
Altaris?

Responsio.

Sacramentum altaris est uerum  
corpus & uerus sanguis Domini  
nostri Iesu Christi, quæ sub pane &  
uino, nobis Christianis exhibentur  
ad manducandum & bibendum,  
iuxta ipsius Christi institutionem.

Vbi hoc scriptum est?

Responsio.

Ita scribunt sancti Euangelistæ,  
Matthæus, Marcus, Lucas & apo-  
stolus Paulus.

Domini

S V M M A P V R I O R I S

Dominus noster Iesus Christus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & peractis gratijs fregit, ac dixit: Accipite & manducate, **HOC EST CORPVS MEVM, QVOD PRO VOBIS DATVR**, Hoc facite in meam commemorationem.

Similiter & calicem, postquam coenauit, & gratias egit ac dedit discipulis, dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic calix nouum Testamentum est **IN MEO SANGVINE, QVI PRO VOBIS EFFVNDITVR** in remissionem peccatorum Hoc facite quotiescunq; biberitis, in mei commemorationem.

*Hæc breuissima descriptio sumpta est ex uerbis institutionis, & certa doctrina Pauli, in qua consideranda sunt quatuor. Primum materia*



## DE COENA DOMINI.

materia Sacramenti, hoc est, quid in eo exhibea-  
tur nobis. Secundo ad quem usum. Tertio,  
pro quibus hominibus institutum sit. Quarto  
quis sit autor huius Sacramenti.

Materia igitur est panis & uinum, quæ ab  
omnibus hominibus uidentur, intelliguntur et sen-  
sibus percipiuntur, & sub his elementis uisibili-  
bus ac sensibilibus adest uerum & substantiale  
corpus, ac sanguis Domini nostri Iesu Christi,  
quæ nos inuisibiliter, uerè tamen & certò accipi-  
mus ore, manducantes & bibentes.

Etenim quotiescunq; hæc sacra cœna Do-  
mini nostri Iesu Christi, iuxta ipsius institutio-  
nem celebratur, tum unâ cum pane benedictò ue-  
rum, substantiale, naturale seu reale Christi cor-  
pus, quod pro nobis in cruce pependit: ac similiter  
cum calice benedictò seu uino, uerus sanguis Chri-  
sti, quem pro nobis effudit in cruce, apud nos in  
terra, præsentia & non absentia, porriguntur ma-  
nu, & ore accipiuntur.

Quomodo autem hoc fiat uel fieri possit  
uos miseri nescimus, & nihil attinet scrutari  
cum sit arcanum Dei, rationi nostræ ac sensibus  
absconditum, ac soli fidei è uerbo cognitum.

Non uoluit nos Christus scrutari ipsissi-  
mum modum suæ præsentia in cœna, sed uult

C

nos

## S V M M A D O C T R I N A E

nos credere : quòd adsit reuera iuxta uerba illa :  
Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.

His uerbis adhibenda est fides, scit enim  
Christus qui loquatur & faciat. Ideoq; & Cy-  
rillus rectè monet, quando ait : Cum Deus opera-  
tur non quæramus quomodo? sed operis sui ui-  
am ac scientiam illi soli concedamus.

Quoniam etiam Christus & Paulus cor-  
pus illud & sanguinem, cum pane & uino in Sa-  
cramento ita coniungunt, ut in hoc inscrutabili  
mysterio simul distribuantur : piè utiq; ex ore  
filiij Dei sic loquimur, ut in usu Sacramenti pa-  
nem & uinum, nominemus corpus & sanguinem  
Christi. Sic enim Christus dicit, quando exhibet  
panem & uinum ad comedendum & bibendum :  
Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Et  
Paulus dicit, panem benedictum & calicem bene-  
dictum esse communicationem, hoc est, dispensa-  
tionem & sumptionem ueri substantialis ac præ-  
sentis corporis & sanguinis Christi. Et Augu-  
stinus ait : Quod uides in altari panis & calix  
est, quod nobis etiam renunciant oculi. Quod  
autem postulat fides instruenda, panis corpus est  
Christi, & uinum sanguis est Christi.

Cum

## DE COENA DOMINI.

Cum autem ad exemplum patrum utimur  
hisce uoculis : Cum, In, Sub, primum testamur  
nos cum uisibilibus elementis uerum corpus Chri-  
sti inuisibiliter, sed uerè tamen accipere, testante  
& Augustino cum ait : Hoc accipitur in pane  
quod pependit in cruce. Hoc accipitur in calice  
quod effusum est ex latere.

Deinde his formulis falso excogitata &  
idolatrica illa transubstantiatio Papistarum re-  
pudiatur, qui error postea copiosius à nobis refu-  
tabitur.

Etenim sicut nemo Christianus credere de-  
bet, elementa uisibilia panis & uini amittere su-  
am substantiam, ne sint uerus, naturalis & sub-  
stantialis panis & uinum: ita neq; hoc adduci de-  
bet, ut credat, oportere fieri impanationem, inclu-  
sionem localem, consubstantiationem, uel durabi-  
lem unionem extra usum Sacramenti, uel simile  
quid.

Panis & uinum in Sacramento, non unium-  
tur cum corpore & sanguine Christi, perinde ut  
in persona Christi duæ naturæ sunt unitæ unione  
personali: sed ununtur unione Sacramentali,  
hoc est, instrumenta sunt & media per quæ, in  
quibus, & cum quibus ut in uero sacramento cor-  
pus & sanguis Christi dispensatur & exhibetur.

C 2 Neq;

## S V M M A D O C T R I N A E

Neg; uerò corpus & sanguis Christi in pane & uino ita includuntur, sicut uinum uel aqua in cantharo uel alio uase, circumscriptiue & localiter, sed uerè adsunt definitiue, hoc est, certò & realiter iuxta modum nobis inscrutabilem, Christo autem pro sua uoluntate ac diuina ratione possibilem & facilem. Atq; hæc doctrina certum habet & innotum fundamentum in uerbis institutionis, in qua utraq; res, corpus & sanguis Christi, item panis & uinum ita distinctè nominantur, ut nihilominus in uno & eodem sacramento copulentur. adeò quidem, ut nisi quis Christum, magistrum ueritatis, imò ueritatem ipsam coarguere uelit, facile agnoscat hanc esse sententiam Christi, quòd in Sacramento uerum ipsius corpus, uerusq; sanguis substantialiter ac certò adsint, neq; tamen panis & uinum, ipsa uidelicet uisibilia & sensibus obuia elementa, mutantur, quemadmodum hæc ipsa doctrina postea separatim ac pluribus argumentis excutietur?

Ac remouendæ sunt hoc loco mathematicæ imaginationes de dimensione corporis Christi in Sacramento, neq; inquirendum, quid & quantum de corpore Christi accipiatur, istæ disputationes reseruandæ sunt in suum locum. Mathematica enim circa corporales creaturas uersatur. Circa  
Sacra

## DE COENA DOMINI.

Sacramenta uerò uersatur Theologia, uerbum Dei & fides illa, quæ contenta est sola commonstratione uerbi.

Certa igitur ac firmissima sententia est, quòd in usu Sacramenti totum corpus & totus sanguis Christi, secundum substantiam suam, & ab omnibus qui sumunt, uerè, sed non uisibili, carnali, naturali, & comprehensibili modo, uerum ( ut superius dictum ) inuisibili, incognito, supernaturali, imperuestigabili, imperceptibili, inexcogitabili & admirando modo, accipiatur, idq; iuxta uerbum Christi, quod mentiri & fallere nescit.

Tum etiam idem corpus & sanguis Christi in manducatione Sacramenti non laniatur, non diuiditur, non læditur, multò minus ut alij cibi digestionem & consumptionem patitur, sed ut est, ita manet etiam totum, indiuisum, indigestum, inconsumptum, dicente apostolo, Mors illi ultra non dominabitur, & Ecclesia rectè canit:

Sumit unus, sumunt mille.

Quantum isti, tantum ille.

Nec sumptus absumitur.

Quia enim sacrosanctum corpus Christi est caro unita diuinae naturæ, cuiusmodi est, ut consumi nequeat, sicut neq; in sepulchro potuit  
C 3                      corrumpi,

## S V M M A D O C T R I N A E

corrumpi, ac proinde non est cibus ventris, sed anime, neq; in carnem & sanguinem nostrum conuertitur, ut alij cibi, sed ipsum nos conuertit & mutat, ut membra simus corporis ipsius.

Iam quia difficilimum est in hac parte, credere quòd uerè & substantialiter corpus & sanguis Christi adsint in Sacramento, & quòd panis & sanguis non sint symiola, signa, figura, umbra, uel quicquid aliud in hanc sententiam dici potest, absentis corporis & sanguinis, sed iuxta expressa uerba Christi, ipsum corpus eius, & ipse sanguis eius praesens distribuatur, manducetur ac bibatur, non solum spiritaliter fide, sed etiam secundum substantiam ore: Superest ut ostendamus, quibus fundamentis utantur Christiani pro statuenda sua sententia.

Primò Deut. 18. scriptum est, Deum suscitaturum Propbetam quendam, quem ab omnibus hominibus audiri iubet. Et qui eum non audierint, ipsis minatur ultionem.

Hunc locum Petrus Acto. 3. & Stephanus Act. 7. de Christo interpretantur, de quo etiam pater caelestis clamauit: Hic est filius meus dilectus, in quo delector, hunc audite.

Hic ipse ergò propheta est, qui testatur, quòd in sua coena, uerum suum corpus & uerus  
sanguis

## DE COENA DOMINI.

sanguis suus adsint, & iubet nos illa cum pane  
& uino sumere, oreq; manducare & bibere in sui  
memoriam.

Huius prophetae uerba, iuxta seuerum man-  
datum patris caelestis audiamus ac satisfacere illa  
nobis ad confirmandam ueritatem, sinamus. Et  
quia perspicue loquitur dicens: Hoc est corpus  
meum, Hic est sanguis meus, acquiescamus in his  
uerbis, ne offendatur a nobis Deus, eiusq; ueritas  
nostra incredulitate blasphemetur, mendacijq;  
arguatur.

Ac si quem offendat sua ratio, atq; ad du-  
bitationem quasi de rebus impossibilibus impellat,  
iam ante dictum est, tractari hoc loco res non ra-  
tionis sed fidei. Quapropter uicissim & hac con-  
siderentur: Primo, Iesum Christum non solum  
esse uerum Dei filium, de quo scriptum est, non  
esse inuentum in ore eius dolum, sed esse etiam  
ipsum uerum Deum, & ueritatem ipsam. Ioan.  
14. Ego sum uia ueritas & uita.

Secundo: Nihil esse Deo impossibile, quic-  
quid loquitur Deus, fieri necesse est. Roma. 4.  
Quaecunq; promisit Deus potens est facere.  
Psalmo 33. Ipse dixit & facta sunt. Ephe. 3. Po-  
tens est omnia facere superabundanter quam nos  
petimus aut intelligimus. Itaq; credere te oportet,

C 4

Christum

## S V M M A D O C T R I N A E

Christum non solum esse omnipotentem in ceteris, ut cum sanauit egrotos & resuscitauit mortuos, imò cum creauit coelum & terram ex nihilo, sed omnipotentem esse adhuc in Sacramento suo, in quo pascere te potest suo corpore & sanguine suo potare, cum expresse dicat, se reuera hoc facere & facturum esse.

Ad eundem modum cogitabis Christum non solum uera dixisse, quando discipulis praedixit passionem, mortem, resurrectionem & ascensionem in coelum, sed constanti fide eandem ei ueracitatem attribues & in his uerbis, ubi ait: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, Bibite, hic est sanguis meus. Ac sic statues: Dominus meus Iesus Christus, uerus & omnipotens Deus, Dei & Mariae filius, tam in factis suis omnipotens est, quam in uerbis uerax. Is mihi porro affirmat, quod in coena sua pascat me suo corpore, & suo me sanguine potet. Hoc totum ei possibile est, & uere fit, tametsi mea ratione nequaquam id assequor, uerbum enim eius est ueritas & maius ratione nostra.

Hoc argumentum uetustas ualde urfit, atq; tam omnipotentiam quam ueracitatem Domini nostri Iesu Christi opposuit uniuersae rationi, piaseq; mentes ad fiduciam uerbi reuocauit.

Chry=



## DE COENA DOMINI.

Chrysostomus Homilia 83. super 26. cap.  
Matth. ait: Credamus ubiq; Deo, nec repugne-  
mus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostræ ab-  
surdum uideatur, non illa solummodo afficien-  
tes quæ ante nos iacent, sed uerba quoq; eius te-  
nentes. Nam uerbis eius defraudari non possu-  
mus, sensus uerò noster deceptu facilimus est, illa  
falsa esse non possunt, hic sæpius atq; sæpius fal-  
lit. Quoniam ergo ille dixit: Hoc est corpus me-  
um, nulla teneamur ambiguitate, sed creda-  
mus &c.

Cyrillus uero super 6. caput Iohan. ait:  
Cum oporteret eos, qui diuinam uirtutem salua-  
toris, ac potestatem signorum miraculo percepe-  
runt, sermonem eius libenter suscipere, & si qua  
difficilia uidebantur, eorum solutionem quærere:  
contra omnino faciunt & dicunt: Quomodo po-  
test hic carnem suam nobis dare? De Deo non si-  
ne magna impietate conclamant, nec illis in men-  
tem uenit, nihil esse impossibile apud Deum. Sed  
nos magnum quæso à peccatis aliorum profectum  
faciamus, & firmam fidem mysterijs adhibentes,  
nunquam in tam sublimibus rebus aliud Quomo-  
do aut cogitemus, aut proferamus. Iudaicum enim  
hoc est, & iudicij extremi causa. Ideo Nicode-  
mus etiã cum diceret, Quomodo hæc fieri possunt,

C S

merito

## S V M M A D O C T R I N A E

meritò audiuit : Tu es magister in Israel & hæc ignoras ? Aliorum igitur ut diximus culpa perdocti, cum Deus operatur, non quaeramus quomodo &c. Vide & reliqua, quæ Cyrillus docet, de eo, quod opera Dei non sint iudicanda secundum rationem, sed secundum eius omnipotentiam.

Secundò scriptum est etiam, quòd in ore duorum uel trium testium omne uerbum consistat. Habemus autem tres probatæ fidei testes, de quibus scriptum est, quod sint præordinati testes Domini nostri Iesu Christi, qui de uerbis & factis ipsius coram omni populo testabuntur. Ac mandatum est, ut ipsorum testimonium audiatur, cum sint organa Spiritus sancti, & Christus affirmat : Qui ipsos audit, me audit, & qui contemnit ipsos, me contemnit.

Porro hi testes sunt tres Euangelistæ, Matthæus, Marcus & Lucas, qui assumptes uerba sua ex ore filij Dei, ac tradentes ea Ecclesiæ, testantur uno ore, panem & uinum in cæna esse uerum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi.

Cum enim scribunt, dixisse Christum : Comedite, hoc est corpus meum. Bibite, hic est sanguis meus, ac simul porrexisse panem & ui-

## DE COENA DOMINI.

num: testantur nimirum, in, sub & cum pane de uino uerum corpus & sanguinem Christi exhibitum. Ac ueluti discipuli omnes gustato pane & uino, uerum corpus & sanguinem Domini acceperunt, ita & nunc fit, quoties cœna dominica iuxta institutionem Christi peragitur.

Caterum neminem offendere debet, quod Lucas, ubi de sanguine Domini loquitur, paulo alijs uerbis utitur, quam reliqui duo Euangelistæ. Matthæus & Marcus sic habent: Hic est sanguis noui Testamenti. Lucas uero sic: Hic est calix noui Testamenti in sanguine meo. At in sententia nihil discrepant, sed huc intenti sunt, ut doceant, in cœna unâ cum calice uerum Christi sanguinem in uino exhiberi, quo scilicet sanguine sancitum est nouum Testamentum & confirmatum, quod Testamentum ipse Deus exhibitione ac donatione filij sui, per sanguinem eius, cum Ecclesiæ pepegit atq; constabiliuit. Ac filius quidem sanguinem suum pro remissione peccatorum profudit. Hic ergo sanguis dispensatur in cœna, atq; Christianis datur in pignus & confirmationem fidei.

Huic secundo testimonio, non minus certo ac firmo, pie mentes inniti debent, & quod hoc loco eis indicatur pro certissima ueritate amplecti

## S V M M A D O C T R I N A E

amplecti, ne uidelicet blasphemiam dicant in Spiritum sanctum, & in eos qui habent testimonium quod non errent.

Tertio consideranda est in primis declaratio Pauli, qui est organum electum, minister Christi, & excellentissimus Theologiae doctor.

Hic ergo clarissime interpretatur uerba Christi, quo pacto intelligenda sint.

Ac initio quidem dicit 1. Corinth. 10. Calix benedictionis, quem benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?

Primum hoc loco attende sententiam Pauli, qui hoc uult, non solum tunc cum Christus discipulis peracta benedictione calicem & panem dedit, uere praesto fuisse corpus & sanguinem ipsius, sed adhuc eodem modo fieri, nobis calicem & panem benedicientibus, ac testamentum Christi iuxta institutionem per ipsius uerba in pio usu repetentibus.

Dehinc obserua, quod disertissime ait, panem ac uinum benedictum esse dispensationem ac sumptionem corporis & sanguinis Christi, ut aperte significet cum pane & uino, siue sub pane & uino corpus & sanguinem Christi exhiberi.

Secundo

## DE COENA DOMINI.

Secundo & hoc dicit Paulus: Quicumque manducauerit panem hunc & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Item, Iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini, hoc est, non discernens à communi cibo & potu. Qui enim est non dijudicare corpus & sanguinem Christi, nisi dubitare primum de uera presentia & exhibitione corporis & sanguinis Christi sub pane & uino? Deinde hunc panem & hoc uinum unà cum corpore & sanguine Christi sine poenitentia sumere, atque in peccatis perseuerare.

Cum ergò Sacramentum hoc modo usurpatur, inquit Paulus, reum efficit hominem, non panis & uini, non signi uel figurae corporis & sanguinis, sed ipsius corporis & sanguinis Christi. Idcirco immota est hæc conclusio: Qui edit uel bibit indignè, reus est eius quod edit & bibit. Qui edit & bibit indignè de pane & uino benedicto in cœna Domini, non fit reus panis & uini, sed corporis & sanguinis Domini. Sequitur ergò, corpus & sanguinem Christi in cœna manducari & hauriri, atque uerè et realiter apud nos adesse in terra.

Tertiò, Paulus nominat sanguinem Christi sanguinem noui Testamenti, & opponit sanguini ueteris Testamenti, in quo sanguis taurorum, agnorum,

## S V M M A D O C T R I N A E

agnorum, vitulorum erat figura, umbra, typus  
& significatio sanguinis Christi. Si ergo ui-  
num noui Testamenti signum duntaxat est &  
significatio sanguinis Christi, iam nullum est dis-  
crimen ueteris & noui Testamenti.

Hoc cum dici nequeat, in nouo utiq; Te-  
stamento uerè id exhibetur, quod in ueteri ad-  
umbratum est signis & figuris. Ad hæc notan-  
dum est, quemadmodum in ueteri testamento, de  
sanguine foederis una pars offerebatur, altera  
parte populus conspergebatur. Quemadmodum  
item una sacrificij pars immolanda Deo, altera  
comedenda erat. Ita Dominus noster Iesus Chri-  
stus, uerum sanguinem suum profudit, & quem-  
admodum eterno Patri eum obtulit pro nostra  
reconciliatione, ita eodem sanguine, & non alio  
conspergit suos fideles, & perinde ut corpus &  
sanguinem suum in cruce pro nostris peccatis ob-  
tulit, ita easdem res propinat nobis comedendas  
& bibendas in coena pro refectione atq; confir-  
matione nostræ fidei. Quare ut in ueteri Te-  
stamento fuerunt nimbæ, figuræ & significatio-  
nes bonorum: sic in nouo Testamento est res ip-  
sa, & corpus ipsum bonorum, seu ipsa uera bo-  
na, Hebræos 10.

Quando

## DE COENA DOMINI.

Quando igitur huius tanti Apostoli testimonium, qui usq; in tertium cœlum raptus res ineffabiles cognouit, contemni non debet, ut qui angelos etiam prouocare, ac si diuersum ab sese doceant, anathemate ferire audet: profecto & hanc eius declarationem uerborum Christi saluam ei esse oportet. Si qua enim extaret commodior meliorue declaratio, aut extare posset, proculdubio noster hic tam fidelis Apostolus, nullo modo eam calasset.

Postremò etiam testimonium ac declaratio sententiæ Domini nostri Iesu Christi sumitur à ratione testamentorum, ad quam & ipse Dominus uidetur respicere, cum ordinatione in cœna uocat testamentum seu supremam uoluntatem.

Vocat autem testamentum in sanguine suo, non ob eam duntaxat sententiam, quam ex Paulo retulimus modò, sed primò, quia ibi testatur sese id (de quo dudum fecimus mentionem) suo sanguine et morte consignasse atq; ratum fecisse, deinde quia significare uoluit, se ueras testamentorum leges & cautiones obseruasse.

## S V M M A D O C T R I N A E

Vt igitur omnes Testamentum condituri, duo cogitant: Primum diligenter providere solent, ut quicquid pro hereditate & legatis relinquunt, id signatis, certis & constantibus uocabulis definiant, ne forte ambiguitate uerborum, dissidijs & litibus inter hæredes occasionem præbeant. Alterum est, ut huc omne studium suum conferant, ne quis ratam ipsorum uoluntatem, temere uiolare, aut irritam facere, ac rumpere testamentum possit. Non aliter de Christo quoq; sentiendum, sed plane credendum est, eum in constitutione sui Testamenti nihilo minus has circumstantias expendisse, neq; minus prudentem fuisse atq; alij homines esse solent.

Proinde eiusmodi ratione sermonem suum composuit, ut Ecclesiæ suæ thesauros illos, quos ei tradidit, signatè denominet, & ait directis, claris, atq; disertis uerbis, se suum ei corpus manducandum, suum ei sanguinem bibendum dare, ne obliuiscatur ipsius, sed perpetuam colat memoriam.

Postea requirit etiam, ut sua uoluntas firmata testamento seruetur, neq; testamentum immutetur, itaq; amplius quasi edicto præcipit: Hoc facite, quasi dicat: Vt inter homines  
testamenta



## DE COENA DOMINI.

testamenta legitimè confecta non licet immutare, ita multò minus, imò minimè patiar ego, uos meum testamentum immutare, aut quicquam addere uel adimere, uel pro uestro arbitrio interpretari.

Neg; omnino dubium est, quin Dominus perfectò suo Testamento, pro diuina sapientia sua, cui nihil deest, malitiam Sathanae, prauitatem ingeniorum humanorum, & secuturas corruptelas prospexerit ac diligenter præcogitauerit.

Vt igitur occurrat istis, non acquiescit in primis uerbis: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, sed ipse addit suorum uerborum declarationem, cuiusmodi corpus & sanguinem in Sacramento exhibeat. Ait ergo deinceps expressè. Hoc est corpus meum, non figuratum, significatiuum absens, sed uerum præsens, substantiale, proprium, illud ipsum, quod pro uobis traditur. Hic est sanguis meus is ipse, qui pro uobis effunditur, atq; ita quasi Prophetico more, designat secuturas Diaboli cauillationes & corruptelas huius Testamenti.

Quare perguit etiam inquit: Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur. Hic est sanguis

D

meus

SVMMA DOCTRINAE

meus, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum.

Ac ueluti his uerbis ueram docet suorum uerborum sententiam, ita Christianos monet, ne aliter persuaderi sibi sinant, sed suam retineant interpretationem.

Hæc ipsius præmonitio tantundem ualeat, ac si dicat: Non me latet ô homines, Diabolum hostem acerrimum & indefatigabilem conquiescere non posse, quin opponat sese mihi meisq; ordinationibus omnibus. Nam de eo scriptum est, quod admordebit calcaneum meum, & in meam inuidiam facturus est, quaecumq; potest. Non me latet etiam, quam uos sitis per uosmetipsos infirmi, quam facile persuaderi atq; in errorem, ad negligenda uerba mea, ratione duce compelli possitis. Quare si quis erit, qui persuadere uobis conabitur, ut a meo Testamento ac forma uerborum discedatis, meaq; aliter intelligatis uerba, quam ex mea sententia & uoluntate: ego hoc modo meipsum declaro, quod corpus illud meum tradam uobis manducandum, quod conceptum de Spiritu sancto, suscepti ex Maria uirgine, quod in præsepio iacuit Bethlemitico, quod trado crucifigendum Ierosolymæ, ut patiat, moriatur, ac resurgat a mortuis tertia die, ascendat in cælum, sedeatq;

## DE COENA DOMINI.

sedeatq; ad dexteram patris omnipotentis. Idipsum corpus & non aliud communico uobis, cum, in, sub pane comedendum, imò is ipse panis, quem hoc pacto iuxta mandatum meum & institutionem, comeditis, ipsum corpus meum est. Ad eundem motum declaro me de sanguine, me nullum alium sanguinem, cum, in, sub uino dare uobis bibendum, quam eum, quem in cruce profudi in remissionem peccatorum, quo ipso uos mundamini atq; abluimini, ab omnibus peccatorum uestrorum sordibus & inquinamentis. Hæc est propria uerborum meorum declaratio, à qua ne quis abducatur uos atq; in errorem seducat, aduigilare debetis.

Iam, quomodo sese apertius potuit Christus declarare? quid attinet amplius rimari atq; scrutari? & quo pacto potuisset commonefacere suos diligentius, ne alienas admittant expositiunculas.

Iam si quis interea ab sua se ratione dementari atq; occæcari sinit, non habet, quo Christum accuset, eò quod non fidem adhibet ei, qui solus est æterna ueritas, ac de quo Deus pater de cælo exclamauit: Hunc audite, non inquit, uestram audite cæcam rationem.

D 2

Acquiesca

## SUMMA DOCTRINAE

Acquiescimus autem inter cetera in duobus immotis fundamentis, quorum alterum est scriptura, seu uerbum Dei, alterum uirtus Dei. Super his duobus fundamentis extruimus omnem fidem nostram, tam in hoc articulo quam in alijs, & istuc etiam deducit nos Christus, Marci 12.

Hæc argumenta pijs mentibus possunt sufficere, quibus fides innitatur, ne dubitent de uera substantiali, ac reali præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra cœna. Quicquid enim opponi potest, caret fundamento ueritatis diuinæ, & non ex uerbis testamenti Christi, sed è sola ratione atq; Philosophia proficiscitur, quam quidem iubet Paulus magnopere caueri, ne decipiamur per eam. In rebus enim diuinis, quas ipse peculiariter reuelauit, nullum oportet concedi locum Philosophiæ & rationi humanæ, sed soli uerbo & sapientiæ diuinæ.

Cæterum quòd opponunt nonnulli, quandoquidem Christus est uerus homo, non posse eum præsentia sui corporis, ut corporis humani, adesse in cœna, corpusq; & sanguinem suum ibi communicare sumentibus. Idq; ratione humanæ naturæ aiunt ita esse, tanquam quæ unita sit quidam naturæ diuinæ, sed non confusa neq; permixta, quæ suas retineat proprietates, & sic glorificata

## DE COENA DOMINI.

ficata sit, ut claritas ipsius (Augustino teste) nequaquam eripiat ei proprietatem, sed imbecillitatem corporis humani.

Respondemus igitur primum: Hoc argumentum non ex uerbo Dei, sed ex caeca ratione oriri. Deus enim est uerax, homo uero mendax. Oportet autem Christianos uerbo Dei reuelato insistere, mactata illa bestia, quae uocatur ratio humana. Deinde respondemus. Neesse non esse ut propter praesentiam corporis & sanguinis Christi in Sacramento, humanitas Christi & utriusque naturae unio negetur, multò minus ut confundatur aut diuellatur. Nimirum enim propter hanc ipsam causam Christus assumpta carne & sanguine factus est homo, ut mori pro nobis, & etiam cibo sui corporis potuque sui sanguinis pro inenarrabili suo consilio, reficere nos possit.

Neque Augustini mens est, ut glorificato corpori Christi, adeò uelit naturam & proprietates humani corporis attribui, ut nihil amplius quam simplex hominis corpus ualeat aut possit, ac proinde in coena neque adsit uerè, neque adesse possit. Supra enim audiuimus, quod aliter exponat suam sententiam, cum ait: Hoc accipitur in pane, quod pependit in cruce. Verum, quo melius intelligatur haec breuis responsio, subijciemus haec duo digna consideratione.

## S V M M A D O C T R I N A E

Primum esse prudenter de humanitate Christi loquendum & cogitandum, atq; ita, ne quid de gloria decedat assumptæ humanæ naturæ. Postquam enim humana natura in Christo unita est diuinæ naturæ, summum ac diuinum etiam honorem accepit, ac humanitati diuinitas communicat maximam quandam & inexcogitabilem uirtutem & gloriam. Qua de re ueterum extat hæc regula: Quicquid conuenit filio Dei per naturam, hoc conuenit filio hominis per gratiam. Quicquid ergò possibile est filio Dei per diuinam naturam, non debet adimi ei propter humanam. Docemus enim & retinemus hanc regulam, naturas in Christo non esse diuellendas.

Secundo notandum est etiam, maximum esse discrimen inter proprietates substantiales, sine quibus res subsistere non potest, & accidentales, sine quibus salua res esse ac subsistere potest.

Substantiales proprietates corporis humani sunt, corpus & anima, caro & ossa, sine quibus uerus homo esse ac subsistere non potest. Accidentales proprietates sunt, quantitas, qualitas, locus & similia, hoc est, ut corpus sit magnum uel paruum, album uel nigrum, ut in certo loco circumscribatur, ut comedat & bibat, & si quæ sunt alia. Perinde

## DE COENA DOMINI.

Perinde igitur ut negari non potest, quin corpora nostra in altera illa uita uera sint futura corpora, etsi hac accidentia (ut scriptura docet) deponent, ut sint tanquam angeli Dei, neq; nubant neq; nubantur: ita multo minus dicendum est, Christum non habere uerum corpus hominis, quoniam non alligat se accidentibus, neq; ullo in loco detinetur, nisi ubi ipse uult esse: Proinde simul in pluribus locis esse potest, ita ut ubicunq; Sacramentum administratur, ibi corpus & sanguinem suum, uti pollicitus est, dispenset. Quod si penetratio dimensionum nihil ei obstitit, quominus per obsegnatum monumentum, & postmodum per ianuas clausas transiret: ne locorum quidem distantia eum à Sacramento remorari potest. Nam utrumuis horum aequè apud Philosophos incredibile & impossibile censetur.

Itaq; quicquid in hac materia de proprietate naturalium corporum opponitur, quæ Philosophi aiunt in uno certo loco contineri: hoc totum de nostris duntaxat intelligendum est corporibus in hac uita, de quibus certissimum est, unum & eundem hominem simul in multis locis esse non posse, sed in altera uita diuersum erit.

Et hæc imaginationes

D 4

Philo

## SVMMA DOCTRINAE

Philosophicæ in hoc tanto mysterio non debent  
prias mentes perturbare.

Nonnulli allegant articulum de ascensu in  
cœlum, deq; sessione Christi ad dexteram patris,  
& de migratione eius e mundo, & ut fucum faci-  
ant simplicioribus ratiocinantur inde fieri nō pos-  
se ut Christus qui ascenderit in cœlū relicto mun-  
do, sedeatq; ad dexteram Dei, nunquam inde re-  
uersurus ad nos, nisi ad supremum illud iudici-  
um, quo iudicabit uiuos & mortuos, adsit apud  
nos in terra & in coena corpus & sanguinem  
suum uerè ac substantialiter nobis communicet.

Hic responderi poterat per inuersionem, &  
contrarium hoc modo inferri: Eo ipso, quod  
ascendit Christus in cœlum, ac uisibiliter profe-  
ctus, reliquit mundum, sedens ad dexteram pa-  
tris, confirmatur certitudo præsentiae in Sacra-  
mento. Ut enim dextera Dei est ubiq; , ita Chri-  
stus ascensione sua diuina suam maiestatem re-  
cuperauit, naturamq; humanam unâ cum diuina  
eiusq; exaltauit, ut ubiq; atq; adeò in Sacramen-  
to etiam, præsens adesse possit.

Verum quia pro incipientibus ac nouellis  
Christianis laborem hunc suscepimus, non pige-  
bit nos hanc responsionem aliquanto copiosius  
explicare. Tota uerò explicatio in his tribus con-  
sistit.



## DE COENA DOMINI.

sistit. Quid sit ascendere in coelum, Quid sedere ad dexteram Dei, quid deniq; relicto mundo uadere ad patrem significet.

Ascendere in coelum & relinquere mundum, non significat in localem aliquam & circumscriptam regionem coeli sese conferre, neq; ante nouissimum diem in mundo substantialiter praesentem esse, sed secundum humanitatem glorificari, regnum recuperare paternum, gloriosissime exaltari super omnes creaturas, & quaecunq; sunt in caelo & in terra in suam potestatem redigere, Philipp. 2. Qui factus humilimus, seipsum exinanivit, iam regnat in gloria Dei patris.

Quemadmodum scriptura discrimen facit huius & illius futuri mundi, ita discernit etiam hoc uisibile & aeternum illud coelum. Visibile coelum cuius Moses describit initium, quod etiam suo tempore finietur & flammis exurentur. 2. Pet. 3. Creaturis constat uisibilibus, & locum habet certum ac definitum.

Inuisibile uero & aeternum coelum est lux illa inaeceffibilis, in qua Deus habitat in sempiternum, quem nemo quisquam uidit, neq; uidere potest. 1. Timo. 6. De hoc caelo nihil potest, pro ratione corporalis loci, siue de tempore, siue de distincta sede, cogitari. Totum est incompre-

D 5           hensibile

## S V M M A D O C T R I N A E

Inensibile & sublimius, quam ut à nobis intelligi possit. Ibi sunt res ineffabiles, quæ auris non audiuit, oculus non uidit, neq; in cuiusquam hominis cor ascenderunt.

Vt autem pronunciare non licet, Christum ab æterno & ante assumptionem humanæ naturæ in hoc corruptibili cælo habitasse, & in eodem post creationem, tanquam uinculis alligatum sedisse: ita nequaquam putemus, cum post resurrectionem eò se recepisse, atq; in uno certo loco, corporali modo alligatum hæere. Ait enim scriptura & ipse, se illuc reuersurum, unde uenit, & illam gloriam recuperaturum, quam ante constitutionem mundi habuit, Ioan. 14. & 17.

Huc accedit Pauli testimonium, qui hunc locum optimè interpretatus, Ep hes. 4. ait, eum ascendisse super omnes cælorum cælos, ut omnia impleat. Item Hebræ. 4. & 7. Penetrauit omnes cælos. Quis igitur in uisibili & corporeo & corruptioni obnoxio cælo eum concludere uelit? Præterea S. Psalmus inquit: Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Item: Dominus collocauit eum à dextris suis. Psal. 110. Quis igitur de omnipotenti gloria dubitet?

Hæc

## DE COENA DOMINI.

Hac omnia non solum de diuina natura in Christo, sed etiam de humana atq; adeo de toto Christo intelligantur, quod uidelicet post suam passionem mortem & resurrectionem, humanam naturam suam in ascensione ita glorificauerit, ita exaltauerit, ut cum diuina natura unita in ista, quam diximus, gloria uiuat & perpetuo uictura sit.

Etsi autem Christus ascensione sua omnia impleuit, & uisibile quoq; coelum occupauit: tamen ingens discrimen est inter hac duo, coelum occupare & occupari a coelo. Christus occupauit coelum, sed a coelo non occupatur, ut in eo tanquam in ergastulo sit localiter inclusus & circumscriptus. Hoc quicumq; dixerit, uerissime negat uirtutem ascensionis.

Vadere ad Patrem non etiam significat prorsus exulare a mundo, ne sit amplius in eo Christus personaliter, & essentialiter praesens, sed post passionem, mortem ac resurrectionem regnum Patris occupare, & nihilominus esse in Ecclesia praesentem, sicut ante ascensionem uisibiliter adfuit discipulis suis, ac naturaliter, ita nobis adesse nunc inuisibiliter. Ait enim: Vado ad Patrem, & non amplius uidebitis me, neque ait: Ego non ero apud uos praesens

S V M M A D O C T R I N A E

præfens ( de hoc enim dixit : Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi ) sed uos non uidebitis me, hoc est, non ero uobiscum & in Ec= clesia specie uisibili, Imò post resurrectionem Christus, tametsi præfens erat, sic loquitur disci= pulis : Cum adhuc essem uobiscum. Tunc enim alio modo præfens erat quam antea. Et ut uisi= biliter tunc temporis, ita nunc inuisibiliter adest nobis, & tamen etiam uisibiliter adesse potest, cum uult, ut exempla testantur de Stephano, Actorum 7. & de Paulo Actor. 9. 22. 1. Co= rinth. 15.

Etenim in mundo esse, significat in hac ex= terna & sensibili creatura uersari, hoc est, mun= danam uitam uiuere, quæ dicitur uita naturalis, in qua edere, bibere, dormire, laborare, œconomiam administrare oportet. Ab hac uita iuxta Esaiam, abscissus est Christus, ita ut huius uitæ admini= culis non amplius indigeat neq; utatur. Nihilomi= nus tamen præstat, quæ promisit, inquiens : Ego uobiscum sum. Item : Vbi duo uel tres congrega= ti sunt in nomine meo, in medio eorum sum, ac proinde apud suos hic in terra est, non solum per efficaciam uerbi, sed etiam personaliter.

Postremò dextera Dei non est locus in cœ= lo sensibilis & circumscriptus, sicut carnaliter  
imagina=

## DE COENA DOMINI.

imaginatur mater filiorum Zebedei, orans Christum, ut alterum filium ad dexteram sibi, alterum ad sinistram in regno suo constituat. Sed est inenarrabilis illa & imperuestigabilis potentia, gloria & maiestas, ipsa deniq; omnipotentia Dei, ad quam exaltatus est Christus, in, super, & subter uniuersas coeli et terræ partes, adeo ut nunc etiam iuxta humanam naturam sedeat in caelo ad dexteram patris, hoc est, infinita potentia & maiestate exaltatus cum patre super omnes creaturas. Eph. 4. Psal. 8. & 110. Philip. 2.

Ergo ad dexteram Dei sedere, non significat alligari certo loco, sed cum Deo æquali gloria, maiestate, uirtute ac potentia regnare, atq; constitutum esse dominum super omnes creaturas. Psal. 8. Ephes. 4. Et ut Paulus inquit, omnia implere, omnia posse, ubiq; præsentem tanquam uerum ac omnipotentem Deum, posse omnia sibi facere præsentia et omnibus præsentem esse. 1. Pet. 3. Qui est ad dexteram Dei profectus in caelum, ubi subiectos habet sibi angelos & potestates & uirtutes. Atq; hoc de tota persona Christi ( ut modo diximus ) intelligendum est, pro ut est uerus Deus & homo.

Qua

## S V M M A D O C T R I N A E,

Quapropter immota est haec brevis conclusio : Christus sedet ad dexteram Patris, hoc est, omnia potest, nihil est ei impossibile. Ergo pariter in caelo & apud nos in terra, scilicet in coena sua esse potest.

Quanquam autem impossibile est nobis intelligere hoc & peruestigare, ipsi tamen non est factu impossibile. Et quamobrem non posset Christus plura facere, quam nos miseri homunciones intelligimus atque assequimur? nonne ipse Dominus est & Creator, nostra ratio & intelligentia, creatura est & opus eius?

Quemadmodum autem articuli fidei deprauiato intellectu citantur, ut per illos uera et substantialis praesentia corporis & sanguinis Christi in Sacramento negetur: ita fit etiam de multis alijs sententijs scripturae. At profecto imprudens & uiris doctis indigna oratio est, quod profitentur aliqui doctrinam de substantiali praesentia Christi in coena tollere articulos fidei. Maiori in cogitantia dicitur, hanc doctrinam carere fundamento scripturae, ac perinde esse falsam, atque est Papistica transubstantiatio.

Quod

## DE COENA DOMINI.

Quod autem aiunt, non esse, neq; utile neq; necessarium. Vt corpore & sanguine Christi substantialiter presenti pascamur atq; nutriamur, de eo longe aliter edocere possumus. Si enim nulla sit alia ratio necessitatis, sola sufficit Christianis ratio institutionis ac uoluntatis filij Dei, qui declarat etiam hoc ipso nobis inenarrabilem suam erga nos dilectionem & beneuolentiam, quod non solum corpus & sanguinem suum pro nobis tradidit atq; effudit, sed reuera etiam nobis illa communicat, quò simus de salute nostra certiores. Possumus enim hoc loco argumentari secundum Paulum Roma. 8. (Si Deus pro nobis omnibus tradidit filium, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?) Si Christus suum proprium ac uerum corpus nobis dat in cibum, quomodo non omnia nobis donaret credentibus, quæ illo in mortem tradito, nobis acquisiuit.

Hoc pacto implentur etiam promissiones ipsius, ubi sese usq; ad consummationem seculi nobis affore prædicat. Non enim hoc ipsum implere uult efficacia solum & uerbo (ut supr a mentionem fecimus) hoc est, defensione & patrocinio suo erga pios, ac missione spiritus sancti

## S V M M A D O C T R I N A E

sancti, sed etiam corporali praesentia, conuersatione, & tam corporis quam sanguinis sui in coena communicatione.

Tum etiam Christiani hoc precioso cibo corporis & sanguinis Christi spiritualiter nutriuntur, ab aeterna morte conseruantur, & ut ueteres loquuntur, ad resurrectionem uitae praeparantur. Quamobrem ergo Dominum Iesum Christum, cum suo uero & substantiali corpore & sanguine e coena eripi nobis patiamur? nonne hoc pacto uerum fructum, & optimos thesauros, maximumq; conscientiae solamen amitteremus? hoc ut Deus ab omnibus pijs auertat, precamur.

Ceterum absurditates illas, prolisasq; & ambiguas & difficiles quaestiones, quas aliqui somniant ex hac doctrina peruenire, simpliciores ex oculis amoueant, & regulam meminerint, in Psalmo propositam. Subditus esto Domino & ora eum. Psalm. 37. Subijce te regimini ac uerbo Dei, nunquam ipse te fallat. Tu crede & ora, hanc obedientiam abs te Deus flagitat. Blasphemia est autem, quod a caecitate rationis humanae oritur, id imputare uerbo Dei, quod est ueritas sempiterna. Et obsecro, quid non absurdissimarum opinionum sequi necesse est, ubi ratio in diuinis rebus



## DE COENA DOMINI.

rebus constituitur magistra? à quo errore cauendum esse sedulo monemus.

Nunc ut haecenus docuimus, iuxta primam definitionem, precipuam in Sacramento materiae partem esse uerum & substantiale corpus ac sanguinem Domini nostri Iesu Christi, ita deinceps commemoratum est, uerum ac naturalem panem ac uinum ibi adesse & permanere. Atq; hoc loco nostrae Ecclesiae manifestè discedunt à dogmate Papistico, de transsubstantiatione, & omnibus alijs abominationibus quae inde consecutae sunt.

Quod enim in sacra coena panis in corpus Domini non conuertatur, sed uerè sit naturalis panis atq; maneat, hinc facile constabit.

Primum, quod omnes Euangelistae simul et uno consensu testificantur, Dominum accepisse panem, dedisseq; discipulis, neq; fecisse ullam de specie uel mutatione panis & uini mentionem, sed simpliciter dixisse, se ipsis corpus & sanguinem suum exhibere.

Id iterum Paulus exponit satis perspicue, Cum enim de pane & uino in usu Sacramenti loquitur, nominat quidem panem & uinum benedictum, significans, adesse hic aliquid maius & praestantius pane & uino: sed tamen prudenter loquitur, ne quis existimet panem et uinum conuerti

B

aut

S V M M A D O C T R I N A E

aut mutari, sed manere panem ac uinum, & tamen panem uerè esse corpus Christi, uinum uerè sanguinem esse Christi, iuxta ueracissima uerba testatoris Christi: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, quæ uerba neq; mentiuntur neq; fallunt.

Ad hæc partes substantiales Sacramenti non aliter ferunt, nisi quod uisibilia elementa suam retineant naturam ac substantiam, etiamsi aliam suscipiunt relationem, iuxta institutionem diuinam. Requiritur enim ad uerum Sacramentum uerbum Dei & externæ creaturæ seu elementa, dicente Augustino: Accedat uerbum ad elementum, & fit Sacramentum. Ita requiritur ad baptismum uerbum Dei, & mandatum Domini nostri Iesu Christi, deinde uera & naturalis aqua & non nuda species aquæ.

Verbum sine elementis, & elementa sine uerbo non efficiunt Sacramentum. Si quis baptizaturus, aquæ solummodo acciperet speciem, seu aquam pictam, nemo Christianus diceret hunc uerum esse baptismum. Oportet enim uera sit & naturalis aqua, qua fiat baptisatio. Tum etiam in baptismo aqua non mutatur in aliquam speciem aquæ, sed manet in baptismo & post baptis-

## DE COENA DOMINI.

baptisimum, aqua, qualis antea fuit. Eodem modo in Sacramento altaris necesse est adesse panem & uinum, & manere illa in celebratione & usu coenae, nisi, perinde ut aqua baptismi, cum accedit uerbum, fit aqua sancta, & in eo separatur ab omni aqua communi. Ita hic fit panis sanctus & uinum sanctum, in quibus Christus uerum corpus suum & uerum sanguinem suum nobis dat manducandum atq; bibendum. Ex hoc fundamento rejicitur transubstantiatio, ut somnium humanum quod ad stabiliendam idolatriam excogitatum est, ut ipsa experientia iamdiu comprobauit.

Porro, quia de materia Sacramenti satis dictum est pro rudioribus, uenimus ab illam partem cuius etiam in questione nostrorum catechumenorum facta est mentio, de usu Sacramenti.

Pontificij mirabiliter luserunt in hac parte, celebrarunt missas priuatas, hostiam (quam uocant) circumgestarunt, reposuerunt, adorarunt. De his usibus nihil quicquam praecipit Christus uel Apostoli, sed somnia sunt ingeniorum humanorum, audacissime institutio-

## S V M M A D O C T R I N A E

nem dominicam corrumpentium. Christus precipit, ut manducemus & bibamus, & in his uerus Sacramentorum usus consistit, neq; Christus alterum sine altero, sed utrunq; fieri postulat, quo facto redarguitur etiam Pontificis temeritas, qui alteram speciem ( ut uocant ) Sacramenti abstulit Laicis.

Quoniam autem de manducando & bibendo sermonem facimus, hoc loco recte distingui oportet. Nam propter simpliciores triplex iudicatur manducandi & bibendi modus. Primus est corporalis siue naturalis. Secundus supernaturalis, quem dicere possumus Sacramentalem. Tertius spiritalis.

Corporalis manducatio in Sacramento intelligitur de uisibilibus elementis pane & uino. Quia enim haec substantiam suam retinent, neq; mutantur: ideo uelut alij cibi naturales per oesophagum transmittuntur in aluum, comeduntur ac bibuntur, digeruntur, atq; in nutrimentum corporis conuertuntur.

Sacramentalis manducatio intelligitur de uero corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, haec etiam fit ore, non autem uisibili & sensibili modo, sed ( ut saepius dictum est ) inuisibili, supernaturali, arcano, insensibili, admirando modo,

## DE COENA DOMINI.

do modo, ueruntamen sine lesione corporis & sanguinis Christi.

Spiritualis manducatio de eo intelligitur, quod per fidem fit, uel cum corporali manducatione uel sine ea.

Quando fit cum corporali manducatione, requiritur ad hanc spiritualem manducationem, ut non solum cogitatione uel fide, uel corde intuente uerbum, corpus & sanguinem Christi non praesentia, sed substantialiter in caelo existentia in uerbo comedas & bibas: sed initio credas, corpus & sanguinem Christi in caena dari & accipi. Deinde credas quoque, corpus Christi pro te in cruce passum, sanguinem Christi pro te in cruce effusum in redemptionem tuam. Tertio credas etiam, te propter corpus illud crucifixum, & sanguinem illum effusum habere remissionem peccatorum, uitam & salutem aeternam, ac spiritualis manducatio per illam corporalem confirmatur.

Ac in hac manducatione credentes ore & fide salutariter percipiunt corpus Christi, ore percipiunt substantiam corporis. Fide spiritualiter unam cum substantia uerum fructum, & omnia beneficia corpore & sanguine Christi parta, nempe, remissionem peccatorum, &c. Simul etiam inseruntur Christo, ut fiant membra corporis ipsi-

## SVMMA DOCTRINAE

us, & ecclesiae, ut Christus in ipsis, & ipsi in Christo maneant.

Ceterum de spiritali manducatione quæ fit sine corporali. Christus docet Ioan. 6. quæ quidem fieri potest per uocem Euangelij, uel in absolutione &c. Sed hac non percipitur simul ut in cœna, substantia præsens, sed tantum fructus corporis Christi, per fidem.

Hoc modo patres in ueteri testamento perceperunt corpus & sanguinem Christi, hoc est, crediderunt Christum fore hominem, ac pro ipsis traditurum corpus suum in mortem, sanguinemq; effusurum, in redemptionem ac remissionem peccatorum ipsorum, ac crexerunt se uera consolatione per fidem, se habere propter mortem & sanguinem uenturi illius Messiae, remissionem peccatorum & uitam æternam, Esa. 53. Tametsi enim substantiam corporis Christi, tunc nondum incarnati, non perceperunt, fructum tamen & efficaciam seu meritum illius perceperunt. Qua de re admoniti sunt sacrificijs quæ significabant futuram mortem & sacrificium Messiae. De hac spiritali manducatione patrum Paulus commonefacit 1. Corint. cap. 10.

Ceterum

## DE COENA DOMINI.

Ceterum illa quorundam glossa qui aiunt, uocabulum communicationis apud Paulum intelligi non quo ad substantiam, sed tantum quo ad meritum seu efficaciam & fructum, id est, non de communicatione ipsius corporis Christi, sed de communiacione effectuum, mortis, meriti, remissionis peccatorum. Hanc glossam concedimus tolerari posse intellectam de patribus ueteris testamenti, credentibus, sed quod ad nos in nouo testamento attinet, falsa est. Sicut enim Christianis noui testamenti hoc Sacramentum institutum est & a Christo praeceptum, ut corpus & sanguinem comedant & bibant: Ita credentes cum accedunt ad Eucharistiam utrunq; accipiunt in coena, & substantiam & meritum corporis Christi, iuxta haec uerba, Accipite comedite, hoc est corpus meum.

Sequitur iam tertius locus primae quaestionis in Catechismo, ubi docentur pueri, pro quibus hominibus hoc Sacramentum sit institutum, nempe pro omnibus Christianis, ut utantur eo iuxta institutionem & mandatum domini sui. Ac hic thesaurus est uerum peculium Ecclesiae quod ei seorsim Christus Dominus & sponsus eius donauit.

## S V M M A D O C T R I N A E

Etsi enim omnipotens ac benignus filius Dei, beneficia sua & opus redemptionis in genere pro toto mundo perfecit, tamen maxima pars generis humani ipsum cum beneficijs suis contemnit.

Etenim quicumq; non audiunt uerbum, quo beneficia sua nobis offert, nosq; ad magnam coenam suam conuocat, non possunt frui beneficijs eius, neq; digni sunt qui coenam eius gustent. ac his uimirum non est institutum Sacramentum. Si uerò accedunt ad Eucharistiam & utuntur ea sine fide & cum hypocrisi, summum inde dispendium capiunt, & culpa non in Christo, sed in ipsis residet. Quicumq; uerò uerbo uocationis adducuntur, eos recipit Christus tanquam gratos conuiuas, & efficit eos membra Ecclesiae, quos in coena suo corpore suoq; sanguine ad salutem suam nutrit, ac pro his instituta est coena, non pro Ethnicis uel Turcis qui eam contemnunt.

Interea uerò sciendum est, etiam hypocrisis & incredulos, qui unà cum alijs accedunt ad Eucharistiam, uerè percipere corpus & sanguinem Domini, secundum substantiam suam, sicut Iudas tam accepit uerum corpus & sanguinem Saluatoris Christi, quam ceteri apostoli. Hoc enim sine ulla contradictione sequitur ex uerbis apostoli dicentis: Quicumq; manducauerit panem  
hunc



## DE COENA DOMINI.

hunc & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Neq; uerò sancti patres aliter intellexerunt hæc uerba, sicut ex eorum scriptis constat. Sacramentum enim seu præsentia & sumptio corporis & sanguinis Christi, non consistit in dignitate uel sanctitate personæ, sed in uerbo Dei, fundamentum habens institutionem filij Dei, quod fundamentum unicum est propugnaculum aduersus omnes errores & seductiones. Propter incredulitatem personæ non fit irritum & uanum uerbum, quo institutum est Sacramentum, siue sis dignus, siue indignus, reuera corpus & sanguis Domini adest, secundum efficaciam uerborum Christi, quæ semel in prima cœna prolata sunt, hodiè proferuntur in persora nomine & mandato Christi ore sacerdotis. Proinde tam credentes quam non credentes, tam digni, quam indigni, ore accipiunt in cœna substantiale corpus & sanguinem Christi, cum pane & uino, etiamsi administretur Sacramentum ab indigno et impio sacerdote, modo institutio Christi non peruertatur.

At hoc loco ingens constituendum est discrimen, inter manducationem credentium & non credentium. Credentes percipiunt corpus & sanguinem Christi in suam salutem & consolatio-

B S nem,

## S V M M A D O C T R I N A E

nem, ad confirmationem fidei & certificationem salutis, siquidem probant sese neq; substantiam duntaxat ore, sed etiam fructum seu effectum corporis & sanguinis domini fide percipiunt, sibiq; applicant nempe, remissionem peccatorum. Non credentes sumunt indignè in iudicium atq; condemnationem suam, siquidem sumunt sine probatione sui, hoc est, sine poenitentia & fide. Nam sine spiritali manducatione, id est, sine fide, corporalis manducatio damnosa est, & reos facit aeternae condemnationis. Porro non credentibus corpus Christi, non est causa suae condemnationis, sed incredulitas. Ut enim fidem comitatur uita & salus, ita incredulitatem ira & condemnatio sequitur, etsi Christus ipse adest, cum omnibus beneficijs suis.

Quid enim proderat Iudæis, quod Christum coram corpore suo praesentem, uerboq; & miraculis insignem uidebant, cum fiduciam in eam suam non collocarent. Tanto sunt ob hanc incredulitatem atrocioribus poenis obnoxij, praesertim quia usi sunt etiam uolentia in Messiam & regem suum.

Eodem modo nihil proderat latroni sinistro, quod prope Christum pendeat, imò cum  
non

## DE COENA DOMINI.

non crederet, condemnatus est, incredulitas enim condemnat hominem. Itaq; & Iudas condemnatus est, propter incredulitatem suam, tametsi Apostolus fuit, & cum cæteris discipulis in coena corpus Domini accepit, sibi enim accepit in iudicium.

Augustinus lib. 5. de baptismo contra Donatistas: Sicut Iudas cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo locum in se diabolo prabuit: sic in digne quisq; sumens dominicum Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus, malum sit aut quia non ad salutem accepit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini nihil minus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus. Qui indigne edit.

Item: Si quis manducat & bibit sanguinem Domini indigne, iudicium sibi manducat & bibit: Sic & qui accipit indigne baptisma, iudicium accipit, non salutem. Nam & Iudas proditor bonum corpus & Simon Magus bonum baptisma Christi percepit, sed quia bono non bene usi sunt, mali male utendo deleti sunt. Bonum est Christi corpus & sanguis bona est lex, sed si quis legitime utatur.

Postremo

## S V M M A D O C T R I N A E

Postremò in hac prima parte admonentur etiam Catechumeni nostri de autore, qui instituit hoc Sacramentum, idq; propter has causas: Vt apud homines maior sit dignitas huius Sacramenti propter autorem Christum, ac ne quis omnium hanc institutionem tanti autoris ausit mutare aut tollere. Deinde, ne quis dubitet, quin uerè fiant hæc uerba, cum ait Christus, se dare nobis uerum corpus suum pro nobis traditum, & uerum sanguinem suum pro nobis effusum in remissionem peccatorum nostrorum. Nam qui hæc dicit omnipotens est & uerax, ac per ipsum subsistere potest hæc institutio, quæ cæcis mentibus nostris & misellæ rationi tam est incredibilis. Tertio, ut excitemur ad fidem, & in fide hoc Sacramentum dignè ad salutem nostram participare possimus. Atq; hæc pro simplici explicatione primæ quæstionis in Catechismo sufficientiant.



DECLA.

DE COENA DOMINI.

DECLARATIO

TIO SECUNDAE

Questionis.

Quid prodest hoc modo manducare & bibere?

Responsio.

Id indicant hæc verba: Pro vobis datur, Pro vobis effunditur, in remissionem peccatorum, nempe quod in hoc Sacramento donetur nobis per hæc uerba, remissio peccatorum vita & salus æterna. Vbi enim peccatorum remissio est, ibi est etiam vita & salus æterna.

*In hac questione res maximè necessaria, quam in usu huius Sacramenti cogitare pij debent, tractatur, uidelicet de usu seu fructu, quem ex eo percipiunt, cum iuxta institutionem Christi fide utuntur.*

De

## S V M M A D O C T R I N A E

De hac re simpliciter & perspicue docentur pueri, caput uel summa est, quod in Sacramento accipimus thesaurum illum, per quem habemus remissionem peccatorum. Quid ita uerò? quia ad sunt hæc uerba, quæ id testantur, nempe uobis datur. Pro uobis effunditur in remissionem peccatorum. Propterea enim iubet me comedere & bibere, ut meum sit, ut mihi cedat in utilitatem, tanquam certum pignus & indicium, imo tanquam bonum ipsum, quod pro me impensum est, quo deleta sunt omnia peccata mea, mors & omnia mala.

Atq; hæc uerba, pro uobis datur. Pro uobis effunditur duo complectuntur. Primum discrete iudicant, passionem ac mortem Christi, pro nobis esse factam, ac in uniuersum nobis prodesse. Cum enim dicit pro nobis hæc esse facta, hoc dicere uult: Mea causa non fuisset opus me suscipere passionem & mortem, sed uestra causa summopere fuit necessarium, id ita fieri. Idcirco etiam commiseratione uestræ calamitatis corpus & sanguinem meum pro uobis tradidi, ut primum peccata uestra portarem in corpore meo, ac propter illa percuterer ac uulnerarer. Deinde ut fierem uictima, persoluens integrum precium pro il-

## DE COENA DOMINI.

pro illis, iramq; Dei placans. Tertio ut plenam ac certam remissionem eorum uobis compararem.

Hoc modo Apostoli uerba Christi, PRO VOBIS declararunt. Iohannes Baptista clamat: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Peccata mundi? quia suscepit ea, assumpta nostra carne. Agnus Dei est? quia fit uictima, quae uulneratur & mactatur, ut suo sanguine a peccatis purificet.

1. Pet. 2. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, iusticia uiuamus, cuius liuore sanati estis. Roma. 4. Christus traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.

Secundo. Haec uerba: Pro uobis, indicant etiam, quod, sicut sua nobis passione & morte Christus thesauros peperit, de quibus dictum est: Ita communicet eosdem credentibus cum dat eis uescendum corpus & sanguinem suum. Inde Sacramenta nuncupantur quoq; signa media, item sigilla applicationis, per quae beneuolae illae promissiones Dei in Euangelio propositae, singulis offeruntur atq; applicantur.

Iam

## S V M M A D O C T R I N A E

Iam si corpus & sanguis Christi est precium redemptionis seu Lytron, quo remissionem peccatorum nobis peperit: quomodo non una cum illo potiremur thesauro parto? modo in fide Sacramentum accipiatur.

Cæterum remissionem peccatorum sequitur uita & salus æterna. Postquam enim Deus propter transgressionem primorum parentum minatus est mortem, eaq; re ipsa totum genus humanum inuasit, ac potenti suo iuri omnes homines subiecit. Sequitur, omnes homines natura, hoc est, ex utero matris esse peccatores, & mortuos coram Deo. Postea, quoties peccant homines, atq; in peccatum consentientes perseverant, uerè esse spiritualiter mortuos coram Deo, atq; addictos æternæ morti, etiamsi aliquandiu in terris adhuc uiuant. De hoc testatur apostolus, dicens: Qui in peccatis uiuant uiuentes mortui sunt. Rom. 6. Mors est stipendium peccati. Ut autem euadamus mortem, necesse est antecedere remissionem peccatorum. Quoniam etiam Deus creauit atq; uocauit homines ad uitam, ij nimirum uerè uiuant ei, qui per Dominum uitæ remissionem peccatorum consecuti sunt, atq; inde porrò per eum iustificantur, quando eis donat remissionem peccatorum, & iusticiam suam eis communicat atq; imputat,



## DE COENA DOMINI.

imputat. Quamobrem placent Deo, atq; ad uitam recipiuntur.

Huc referantur testimonia scripturae Abac.  
Iustus fide uiuit. Ceterum quis est iustus? cui non imputantur peccata sed condonantur atq; remittuntur. Istiusmodi uiuit. At quomodo uiuit? Fide, inquit Propheta, credens nimirum se a Deo patre propter filium faucibus eripi mortis & peccati, atq; restitui in iusticiam uitae.

Iohan. 3. Qui credit in eum non peribit, sed habebit uitam aeternam. Iohan. 1. In ipso uita erat. Iohan. 5. Amen, Amen dico uobis, qui uerba mea audit, & credit in eum qui misit me, habet uitam aeternam.

Si ergo Christus in coena corpus suum & sanguinem dat nobis comedendum ac bibendum, simulq; remissionem peccatorum credentibus donat, eamq; hoc thesauro arctissime oppignorat, sequitur inde, nos eadem fide certo accipere uitam coram Deo, ac uere apud illum uiuere & saluos esse.

Non est praetereunda hoc loco peculiaris phrasis, scilicet qua nonnulli utuntur loquentes non solum de fructu Eucharistiae, sed etiam de sumptione, in qua phrasi & fructum & rem Eucharistiae complecti uolunt. Est autem haec: Cor-

F            pus &

S V M M A D O C T R I N A E

Sanguinem Christi, ac simul uitam & salutem  
percipi fide, per operationem Spiritus sancti.

Huius phrasidis si est hæc sententia, quod  
Spiritus sanctus excitet atq; confirmet fidem in  
usu Eucharistiæ, ut constanter credamus uerbo  
atq; ita uitam à Domino nostro Iesu Christo con-  
sequamur: non est uitiosa. Nam Spiritus sanctus  
ab Apostolis appellatur Spiritus Christi, propter  
has causas. Primo, quod Christus sua passione &  
morte meritus est eum, ut mittatur in corda pio-  
rum. Deinde, quod ultrò alligat sese ad uerbum,  
seu Euangelium de Christo & ad Sacramenta, ut  
sit in eis efficax, fidem operetur, confirmet & con-  
seruet. Nam sine Spiritu sancto non possunt ho-  
mines credere, sed hæsitant in tenebris, in dubi-  
tatione & impuritate cordis. Cum uero datur  
Spiritus sanctus per uerbum & Sacramenta, isq;  
operari incipit, tunc ipsæ tenebræ & omnis du-  
bitatio euanescit, corda purificantur, adest uera  
fides, & simul uera uita, quibus deinceps nouitas,  
hoc est, obedientia præceptorum Dei sequitur,  
testificans scilicet de interiori fide & uita. Etenim  
quicumq; per fidem nascuntur filij Dei, impellun-  
tur à Spiritu Dei, ad obedientiam filialem & bo-  
nam conuersationem huius uitæ. Atq; ita fit ut  
auxilio Spiritus sancti cum in sacra coena ue-  
rum

## DE COENA DOMINI.

rum corpus & sanguis Domini accipiuntur, sequatur etiam uita & salus aeterna & homo tam intus quam foris emendetur.

Si autem haec ipsorum est sententia, ut hac obscura phrasi qua nunc utuntur, solam spiritua-  
lem in coena manducationem, hoc est, participa-  
tionem efficaciae seu fructus, seu operationis, ab-  
sentis corporis & sanguinis Christi intelligi uo-  
lunt, & in communicatione Sacramenti, sacra-  
mentalem praesentiam ueri corporis & sanguinis  
Christi repudient atque excludant: falso docent,  
propter eas, quas superius memorauimus, ratio-  
nes. Quare prudenter sibi caueant pij, ne ambigu-  
is uerborum formis decipiantur.

Secundo autem, & hoc modo in usu sacrae  
coenae remissionem peccatorum sequitur uita,  
quia inserimur corpori Christi qui est dux uita.

Manducantes enim corpus eius & bibentes  
sanguinem in ipso manemus & ipse in nobis ac  
ueteres dixerunt nos frui non solum spirituali  
communicatione corporis ipsius, quod est Eccle-  
sia, sed naturae eius quoque participes fieri.

Ac Paulus ad Ephesios scribit cap. 5. nos  
unum fieri corpus cum Christo, ut simus caro de  
carne eius, os de osibus eius. Quemadmodum

E 2 enim

## S V M M A D O C T R I N A E

enim corporalis cibus & potus in nostram conuersa naturam, fiunt nostra caro & sanguis, ita nos hac manducatione ipsius reddimur ipsius caro & sanguis.

Hinc oriuntur magnæ consolationes, nimirum, quòd Christus nos tanquam suam carnem & sanguinem ardentè diligit, curat nos tanquam seipsum, preces nostras exaudit, suoq; nos Spiritu sancto consolatur, ac liberat in omnibus uitæ periculis, omnem deniq; gratiam & bonitatem tanquam dilectissimis suis exhibet.

Præter hæc sequitur amplius, nostra corpora, quæ alioqui propter peccatum obnoxia erant æternæ morti, hoc salutari cibo ac potu preciosi corporis & sanguinis Christi sic præparari atq; conseruari, ut certissimam spem habeant futuræ resurrectionis & uitæ æternæ, dicente Ireneo lib. 5. Quoniam nostra corpora carne & sanguine Christi nutriuntur & conseruantur, impossibile est, ea perpetuò in morte ac sepulchro detineri. Item: Sic & corpora nostra Eucharistiam percipientia iam non sunt corruptibilia, sed perpetua & spem resurrectionis uiuam habent.

Itaq; audiuimus hætenus, quemadmodum remissionem peccatorum comitetur uita, & quemadmodum

## DE COENA DOMINI.

admodum usu coenae Dominicae in eiusmodi uitam transferamur, qua in hac uita per fidem, auxiliante Spiritu sancto, coram Deo uere uiuimus, & ulterius in nouissimo iudicio resurrectionem corporum nostrorum uitamque expectamus aeternam. Plures utilitates non recensebimus.

Itaque discant pii causas, propter quas & libenter & magna deuotione Sacramento coenae Dominicae uti debeant, nempe, ut hunc tantum thesaurum, de quo dictum est haecenus, participent per fidem. Deinde, ut confirment fidem. Tertio, ut suo exemplo diuinam ordinationem conseruent, mortem Christi annunciantes, eique gratias agentes.



F ; DECLARA

SVMMA DOCTRINAE  
DECLARATIO  
TERTIAE  
Questionis.

Quomodo potest corporalis manducatio tantas res efficere?

Responsio.

Sola corporalis manducatio non efficit hæc, sed uerbum Christi: Pro uobis datur, pro uobis effunditur in remissionem peccatorum, propter quod uerbum corporalis manducatio instituta est. Hoc uerbum fide apprehensum efficit, ut credens non solum corporaliter edat & bibat, sed etiam spiritualiter & in ueritate accipiat, quod offertur, nempe, remissionem peccatorum.

*Hæc questio ordine loquitur de applicatione ac docet, quemadmodum Christiani thesauros oblatos in Sacramento, ad sese transferant. Ac duæ sunt eius partes: altera de falsa applicatione, altera, de uera.*

*Falsa*

## DE COENA DOMINI.

Falsa applicatio est, respicere solummodo ad opus operatum, quasi sufficiat accedere ad altare Domini, comedere, bibere, sine pia cogitatione de thesauris presentibus, sine fide & bono proposito emendationis, sicut pontificij docuerunt Sacramenta ualere usu, ex opere operato, etiam sine bono motu utentis. Hinc multi & crassi errores extiterunt, non solum enim applicabant Sacramenta pro mortuis & uiuis hominibus absentibus, sed uim eorum atq; efficaciam, etiam in res inanimatas & humanis manibus fabricatas conferebant utpote, baptisando campanas, missificando pro mortuis in purgatorio & pro peregrinantibus, quibus officijs sanctitatem quandam illis rebus, redemptionemq; poenarum infernaliū, ac salutem corporalem promittebāt. Quae abominationes adeo iam notae sunt et Dei benefitio adeo plerisque ita sordēt, ut non sit opus accuratiori cōsutatione.

Ac reijciuntur haec somnia papistarum his ipsis uerbis: Sola manducatio corporalis non efficit haec, quorum hic est sensus: Tametsi uerum est, adesse preciosum thesaurum corporis ac sanguinis Christi in Sacramento, & ipsa manducandi & bibendi actio praecipita est, tamen non est satis, sed aliquid amplius requiritur, ad salutarem usum & applicationem beneficiorum oblatorum.

## SVMMA DOCTRINAE

In ciuilibus negocijs & humanis legibus satis est præstare externam obedientiam, siue quis ex animo faciat, siue non, sed in hoc negocio res aliter sese habet: addidit Deus operi uerbum, neq; solum externum opus flagitat, sed internam quoq; fidem & fiduciam cordis requirit, quæ si non sequatur opere externo nihil proficitur.

Hunc intellectum offerunt uerba responsionis ad præcedentem questionem de uera applicatione, uidelicet: propter quod uerbum corporalis manducatio instituta est. Principaliter enim Deus uult nos intueri uerbum, non solummodo externum opus, ac si opus nostrum responderet uerbo, tum uerò placet ei, ac propter suam promissionem largitur nobis quæcumq; promisit, si modò fide illam apprehendamus, sicut deinceps quoq; dicetur.

Primum igitur hæc falsa applicatio taxatur, si quis existimet, se thesaurum Sacramenti, quem suo Christus peperit corpore & sanguine, externo duntaxat acquirere usu. Hinc enim perniciosi nascuntur errores, ut in Papatu manifestum est.

Quæ igitur est uera applicatio? Respondemus. Fides horum uerborum: Pro uobis datur, pro uobis effunditur in remissionem peccatorum.

Nam



## DE COENA DOMINI.

Nam in his uerbis utrunq; continetur ( ut superius quoq; diximus ) quod in Sacramento corpus & sanguis Domini uerè adsit, ut nos ipsa accipiamus, manducemus ac bibamus. Et eadem uerba Christi testantur de thesauro, quem affert secum manducatio, nempe, de remissione peccatorum, uita & salute aeterna, quam inde habemus, quia ipse suum corpus pro nobis reddidit, suumque sanguinem pro nobis effudit in remissionem peccatorum certò nobis donandam.

Proinde non satis est, comedere & bibere, sed oportet etiam credere. Etenim uera & salutaris applicatio consistit in fide quae intuetur thesauros, qui offeruntur in Sacramento, uidelicet uerum ac substantiale corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, & hanc benignam consolationem, quod corpus sit traditum, hic sanguis effusus pro nostris peccatis, ut nanciscamur inde remissionem peccatorum, uitam & salutem. Hisce uerbis qui credit, id accipit, quod promittunt, neq; corporaliter solum comedit sed etiam spiritaliter.

Quicumq; uero carent hac fide, his nihil prodest thesaurus in Sacramento oblatus. Quis enim usus est thesauri? si maximus & incomparabilis est, imò etiamsi apertus est omnibus,

F S

& non

## SUMMA DOCTRINAE

¶ non solum praeforibus, sed ad mensam exposi-  
tus, si quis negligat, neq; recipiat, neq; tanti aesti-  
met, quanta eum uerba Christi aestimare iubent?

Quapropter, etsi externa quoq; ¶ corpo-  
ralis manducatio praecipitur, tamen (ut dixi-  
mus) non sufficit sed res admodum tenuis, imo  
perniciosa est, cum sit sine spiritali manducatio-  
ne. Qua de re supra in prima parte copio-  
sius dictum est, ideoq; pium le-  
ctorem illuc remit-

timus.



DECLA-

DE COENA DOMINI.

# DECLARATIO

TIO QUARTAE

Quaestionis.

Qui homines dignè utuntur hoc  
Sacramento?

Responsio.

Ieiunare, ac externa præparatio bona disciplina quidem est, verum hic est dignus ac rectè præparatus, qui fide hæc uerba apprehendit: Pro uobis datur, pro uobis effunditur in remissionem peccatorum. Qui uero non habet fidem, aut dubitat, indignus est, & minimè præparatus. Nam hoc uerbum: pro uobis, tantum requirit corda credentia.

Et hæc quaestio duo complectitur, alterum de externa disciplina, alterum de fide uerborum Christi: Pro uobis datur, pro uobis effunditur in remissionem peccatorum.

Prima

## S V M M A D O C T R I N A E

Prius membrum propter nouellos ac simplices Christianos traditur, quia certè has tantas imò diuinas res cum reuerentia & honesta disciplina tractari oportet.

Et quod hoc loco de temperantia siue ieiunio dicitur, id alioquin Christus in genere præcepit toti populo Christiano Luc. 21. & Paulus Rom. 13. ubi ita iubet curari carnem, ne lasciuat. Idq; in usu cœnæ Dominicæ tantò magis fieri debet, quantò conspectius est ibi exemplum exercendæ fidei, timoris & inuocationis: quæ exercitia luxu & inordinata uita non solum impediuntur, sed prorsus extinguuntur.

Ad hæc, etsi externa disciplina & castigatio corporis, summæ rei nihil neq; addit neq; detrahit, neq; hoc genus operibus & exercitijs quicquam promeremur: tamen suum habent usum, ac honestatis æque atq; pietatis ratio postulat ea conseruari.

Principio enim omnes uirtutes Christianorum, ac perinde etiam hæc confessio & testificatio fidei ac timoris, consistunt in corde. Qui enim absq; dubitatione credunt, ipsum Dominum Iesum cum suo corpore & sanguine adesse, in actione Sacramenti, hi statuunt etiam atq; credunt porrò, non solum Dei filium, sed ipsum etiam  
iam

## DE COENA DOMINI.

iam Deum Patrem & Spiritum sanctum adesse,  
atq; cum coelestibus choris beatorum angelorum  
nobis assistere. In quam sententiam extant multa  
scripturae dicta, Matth. 18. Iohan. 14.

Hi nimirum in conspectu maiestatis diuinæ  
non erunt securi, leues atq; proterui, sed ut fidem  
suam ac timorem Dei magna reuerentia decla-  
rent, assuesciant sese, ut sint temperantes in cibo  
& potu, quo uidelicet ad inuocationem & gra-  
tiarum actionem sint aptiores.

Accedit & hæc utilitas disciplina, quod  
præcedit alijs bono exemplo, ut considerent res  
adesse non contemnendas, quas oportet piè ac re-  
ligiosè tractari, sicut è contrario leuitas morum  
plurimum nocet malo exemplo. Ac Paulus nar-  
rat, Deum corporalibus morbis afflixisse Corin-  
thios, quod in sumptione sacræ Eucharistiæ nul-  
lum decorum seruassent, hoc est, ut ipse interpre-  
tatur, hæc re alios offendissent, & cum contemptu  
cõfudissent, eò quod non leue peccatum est, coram  
ipso irreuerenter tractare Sacramentum, ac in-  
decenter ibi sese gerere.

Postremò disciplina prodest ad utilia exer-  
citia corporis, præsertim cum assuescit ad tempe-  
rantiam, qua unusquisq; fragilem suam carnem  
ita cohercet, ut meminert, in mensa Domini non  
dispensari

## S V M M A D O C T R I N A E

dispensari sibi communem cibum & potum, ut in conuiujs priuatorum fieri solet, sed coenam apparatus longe magnificentissimam & optimam, eiusmodi nimirum, in qua Dominus noster Iesus Christus uni cuilibet seipsum communicat ac proprium facit, cum omnibus beneficijs, atq; ita nobiscum unitur, ut nos in ipso & ipse in nobis permaneat. Ioan. 17. sit una caro. 1. Corinth. 12. Ephes. 2. Nostraq; infirma caro fruitur hac spe, fore, ut ubi sedet ipse rex aeternus, eodem & ipsam attollat, nosq; omnes miserijs huius calamitosae uitae perfunctos, ac triumphum de nostris hostibus reportantes, ad sese conuocet & in suum regnum claritatis ac uitae aeternae, Ioan. 12.

Propter has causas non immerito rudiores admonentur de disciplina et ueneratione Sacramenti.

Reliquum est iam ut aliquid dicamus de altero membro quod est sane maxime necessarium, in eo enim consistit digna preparatio & salutaris sumptio, ut uidelicet constanter credamus uerbis Christi, cum ait: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro uobis datur. Accipite, bibite, hic est sanguis meus, qui pro uobis effunditur, in remissionem peccatorum. Quibus iisdem uerbis Christus fidem nostram efflagitat. Qui autem sine fide est ac dubitat de rei ueritate

an nobis

## DE COENA DOMINI.

an nobis Christus exhibeat uerum & substantiale  
suum corpus & sanguinem in pane & uino,  
comedendum ac bibendum : an uerum sit, quod  
Christus sui corporis & sanguinis immolatione  
pro nostris peccatis satisfecerit, eternum pa-  
trem reconciliauerit, ab eterna morte & condem-  
natione nos liberauerit: an uerum sit, quod singu-  
lis poenitentibus ac culpam deprecantibus, in Sacra-  
mento certo donetur remissio peccatorum. Qui ma-  
net in hac dubitatione, non solum indignus est ad-  
sumptionem, sed etiam maximam cum incommodo sumit.

Hanc partem declarat Paulus 1. Corinth. 11.  
his uerbis : Probet seipsum homo, & sic de pane  
illo edat & de calice bibat, qua uoce **P R O-  
B E T**, duo complectitur. Primò ueram contri-  
tionem, ut qui sumpturus est Eucharistiam,  
prius exploret cor suum & uitam suam ad nor-  
mam legis diuinæ examinet, considerans, quando,  
ubi, quomodo, quantopere offenderit Deum,  
quam grauius Deus irascatur peccatis, id enim  
inde conspicuum est, quod propter peccatum, to-  
tum genus humanum morti subiecit. quod deinceps  
uniuersum terrarum orbem exceptis octo homini-  
bus inundatione aquarum deleuit, quod quinque  
ciuitates & regna Sodomorum atque Gomorrhæo-  
rum igni caelitus delapso perdidit, & ad inferos  
detrusit

## S V M M A D O C T R I N A E

detrusit, imo quod in electos suos offensionem atque iram noluit remittere, nisi ex decreto diuino, filius unigenitus pro ipsis preciosum sanguinem fudisset. Sed hanc iram Deus non remittit ijs, qui non resipiscunt. Quare oportet ut quilibet suum cor diligenter exploret, expauescat agnitione peccatorum suorum, et rogata uenia uere incipiat auxilio diuino uitam emendare, et uitare manifesta scandala.

Ceterum hisce uerbis non solum contritionem Paulus flagitat, sed etiam fidem, qua sumpturus Eucharistiam, corpus et sanguinem Domini dijudicet, hoc est, cogitet, se in Sacramento non sumere uulgarem cibum et potum, sed exhiberi ibi prestantissimum ac saluberrimum cibum anime, uerum et uiuificum corpus et uerum ac uiuificum sanguinem Christi, ut credat sumens, ac statuatur, eternum filium Dei, hoc modo certificare nos de omnibus suis beneficijs, donare gratiam, remissionem peccatorum, salutem. Atque ad hunc modum probari oportet, qui digne sumpturus est Eucharistiam.

Deinde probatio includit etiam commonefactionem de Christiana dilectione erga proximum, ut homo diligat proximum suum, sicut ipsum



## DE COENA DOMINI.

ipsum dilexit Christus qui corpore & sanguine suo eum nutrit, quo beneficio admonitus omnem offensionem ex animo eijcere debet. Sicut & Christus Matth. 5. hortatur. Qui enim non remittit peccata aliorum, ei sua etiam peccata retinentur, sicut toties Christus in Euangelio testatur.

Haec omnia comprehendit Paulus in uocabulo probationis. Caput est, hos duntaxat homines digne sumere Eucharistiam qui agnoscentes peccata sua expauescunt cogitatione iudicij diuini, ac simul cogitant de emendanda uita. Credunt autem, se in usu huius sacrosanctae coenae dominicae potiri omnibus his, quae Christus promisit, id est, frui uero corpore & sanguine ipsius, & simul habere remissionem peccatorum gratis. Ac hi, si quidem & proximo suo remisserunt offensionem, digne possunt uti Sacramento.

At qui sua peccata non agnoscunt, neque dolent animo, neque desistunt à peccatis, neque credunt Deum ipsis propter Christum condonare peccata, non curantes neque salutem neque damnationem, exercentes idolatriam, magiam, adulteria, uagas libidines, odium aduersus proximum, usuras uel id genus manifesta scelera, à quibus desistere

G

stere

S V M M A D O C T R I N A E.

stere nolunt : ij Sacramento abstinere debent. Si qui autem occultant sua peccata & hypocrisin alunt, meminerint secuturas esse horribiles poenas.

Paulus enim docet eiusmodi homines, quemadmodum indignè sumunt corpus & sanguinem domini, ita sumere sibi iudicium, ac fieri reos corporis & sanguinis domini.

Quibus uerbis ( ut supra quoq; diximus ) Apostolus ostendit, malos & hypocritas nihilominus ore accipere, uerum corpus & sanguinem Christi, quam alios uerè Christianos, sed non sine magna differentia. Hi enim ore ac fide sumunt uerum corpus & sanguinem Christi ad salutem, illi ore tantum sumunt ad perniciem animæ, quoniam non credunt, ac sua incredulitate Deum arguunt mendacij.

Quapropter longè errant, qui sic sentiunt impios quidem accipere Sacramentum, sed non rem Sacramenti. Hæc sententia si de fructu intelligatur, quem impij non assequuntur, uera est ac tolerari potest: Verum quia nituntur hac formula excludere ueram præsentiam corporis & sanguinis Christi, quasi impij, ueluti Iudas, non accipient uerè corpus & sanguinem Domini, ideo  
falsa

## DE EOENA DOMINI.

falsa est, & quam maximè aduersaria sententiæ Domini nostri Iesu Christi & Pauli Apostoli, qua de re supra dictum est satis.

Cæterum non sine causa fit, quod tantopere Paulus urget hanc doctrinam. Prima causa est, ut perterrefaciat hypocritas, ne temere cumulent sibi pœnas, cum sciant se iam propter hypocrisin obnoxios esse iudicio Dei, ne præterea refiant corporis & sanguinis Domini. Deus enim nisi conuertentur, acriter in eos uindicabit. Tum igitur suæ condemnationis ipsi causa existunt, quandoquidem præmoniti non timuerunt iustum iudicium Dei. Secunda causa, ob quam tantopere urget doctrinam de uera præsentia corporis & sanguinis Domini, quæ omnibus utentibus pariter exhibentur, est, ut hortetur pios, ad prudentiam ac diligentiam, nempe, ut in uera fide utantur Eucharistia & ex eo usu accipiant consolationem & læticiam. Et quoniam certificantur ibi de salute sua, ut eò ardentius immensam dilectionem Dei erga homines prædicent, & in omnem æternitatem, non obliuiscantur huius beneficij, quod filium suum unigenitum tradidit pro nobis, per quem unicum redemptorem nostrum cooptati sumus in hæreditatem æternæ salutis.

## SUMMA DOCTRINAE

Hactenus igitur ex hac nostra commonefactione, quam pio studio suscepimus, pia mentes intellexerunt quae res maxime necessariae sint ad fidem Christianam de Sacramento uero corporis & sanguinis Christi. Primum: Quid in hoc Sacramento dispensetur & accipiatur, pro quibus hominibus institutum sit, quomodo fiat applicatio seu usus, & quis sit autor. Secundum: quae sit utilitas, quique fructus huius Sacramenti. Tertium: quomodo quis non solum accipere Sacramentum, sed etiam fructu ipsius potiri possit. Quartum: de preparatione seu disciplina ante sumptionem.

Quod ergo hactenus nobis Deus affuit suo Spiritu sancto, ut hanc necessariam doctrinam suo uerbo reuelatam simplici fide amplecteremur, agnosceremus pro certa, & in ea permaneremus, equum est, ut immortales agamus gratias misericordiae ipsius. Optamus etiam atque supplicamus toto pectore, ut ipse nos in hac salutari doctrina, sincera fide & simplici confessione conseruet, atque ab omnibus his custodiat, quae ratio humana ac philosophia bona (ut aiunt) intentione docet atque opponit. Oramus etiam ut eandem doctrinam, fidem atque confessionem nostris uere dilectissimis

DE COENA DOMINI.

*Et*issimis fratribus in Gallia, & alibi, aperiat, il-  
lustret, augeat, & ad suam gloriam & ipsorum  
omnium salutem conseruet. Per IESVM  
CHRISTVM filium suum  
unigenitum Dominum  
nostrum,  
A M E N.



F I N I S.

ISLEBII  
PER VRBANVM GV-  
BISIVM, ANNO  
M. D. LXII.


DE. COHN. A. 1800. 30

Handwritten text, possibly a title or list of contents, mostly illegible due to fading.

S. I. M. I.

Handwritten text, possibly a date or reference, mostly illegible.














































Xa 2986

X2207150

me







Farbkarte #13

B.I.G.

# SVMMMA PVRIORIS

DOCTRINAE DE SACRO  
sancta Coena Domini, In qua etiam ad contrarias  
opinionēs breuiter respondetur. Fundata  
in uerbo diuino, & Confessione Augustana  
ac Apologia eiusdem, atq; ex sin-  
cera interpretatione D. D. Mar-  
tini Lutheri, aliorumq; pio-  
rum Doctorum  
collecta.

AD NASCENTEM  
Ecclesiam Galliae missa, à mi-  
nistris uerbi, qui sunt in di-  
tione Comitum Manso-  
feldensium.

PSAL. CXIX.

Declaratio sermonum tuorum illuminat,  
& intellectum dat paruulis.

ANNO

M. D. LXII.

*Hel. Schwartz*  
1562.

*Sum ex libris  
F. Schlegel  
16*